

1676.

19. Sturius, Georgius Adamus : De falione.
20. Sturius, Georgius Adamus : Decisionum causarum
carum et practicarum de conventionibus et
contractibus caput. 18 de locatione conductione
21. Sturius, Georgius Adamus : De liberis S. R. imperii
civitatibus.
22. Stur, Georgius Adamus : De muribus et Januis.
- 23^{ant}₌ Stur, Georgius Adamus : Avariam militare
24. Stur, Georgius Adamus : De eo, quod justum
est circa emphyteusim.
- 25^{ant}₌ Stur, Georgius Adamus : De eo, quod justum
est circa res morae facultatis & Sump
- 1676, 1734.
26. Stur, Georgius Adamus : De eo, quod justum
est circa menses et pontora.

1676

27. Tilemannus, Burchardus Henricus: De libello.
Von der Klage oder Klage-Libell.

28^a. Tilemannus, Burchardus Henricus: De iustis et
progressu legis juris civitatis Romae. Ger-
manici magistratuumque a cond. Rom. usque

28^b ad nostra tempora occas. tit. 2 ff. de orig. jur.
Zopff, Johann Christoph: De malo hypochondriaco.

29. Wolfius, Tobias: De religione in optima
republica a maiestate curanda.



27

28

28

29



2.
10

75

16th, 26

JUVANTE TRINUNO
ET

MAGNIFICO FACTOR. FENENSIUM

Ordine permittente,

DE

Eo quod justum est

Circa

MENSURAS ET PONDERA,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ADAMO

*Struven / Hereditario in Bankleben
& Benigen-Zehna /*

JCTO CONSUMMATISSIMO, SERE-
NISS. DUCUM SAXO-VINARIENSIVM CONSILIA-
RIO INTIMO EMINENTISSIMO, FACULTATIS JURIDICÆ OR-
DINARIO, CURIÆ PROVINCIALIS AC SCABINATUS ASSESSORE
PRIMARIO GRAVISSIMO,

DN. PATRONO ET PROMOTORE SUO REVERENTER SUBMISSE
COLENDO,

publice discussioni submittit

JOSEPHUS WALDECCUS
Corbachio Waldeccus,

AUCTOR.

Ad diem Octobris Anno MDC LXXVI.



JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.

415 d

ILLUSTRISSIMO. AC. CELSISSIMO. COMITI

AC. DOMINO

DOMINO

CAROLO. GUSTAVO,

COMITI. ET. DOMINO

IN. WALDECK, PYRMONT. ET. CULENBURG,

LIBERO. BARONI

IN. TONNA, PALANT, WITTEM, WERT, ET. WIL-
DENBURG,

DOMINO

IN. LINDEN, LEDEN, KINSWEILER, ENGELS-
DORF, FRECHEM, BACHUM, DALEM, &c.

POTENTISSIMI. EXERCITUS. BATAVICI

SUB

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMOQUE

COMITE. ET. DOMINO

DOMINO

GEORGIO. FRIDERICO,

COMITE. ET. DOMINO

IN. WALDECK, PYRMONT, ET. CULENBURG, &c. &c. &c.

DOMINO. SUO. PARENTE. MAGNIFICENTISSIMO, HODIE. CAMPI. AR-
CHI-MARESCHALLO. INCLYTISSIMO

EQVITUM. DUCI. FORTISSIMO

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO

*legales hasce primitias, eâ qua par est
submissione & observantiâ*

dedicat & consecrat

humilimus cliens

TILEMAN. WALDECK



PRÆFAMEN.



Iserrimo Protoplastorum nostrorum lapsu tres proh dolor! fuere aperti vitiorum fontes. LIBIDO scilicet, IRA, & CUPIDITAS; ex quibus horrenda postmodum omnis generis iniquitatis monstra prosilierunt. Ex LIBIDINE illicitæ amoris cogitationumque illecebræ; Hic stupra violenta, hinc raptus virginum, hinc temerationes alienarum nuptiarum. Ex IRA veniebant laxationes corruptorū adfectuum, ut struerentur alteri ab altero mortis insidiæ, ex quibus natales suos habere videntur homicidia, parricidia, latrocinia & id genus alia quam plura. Ex CUPIDITATE denique omnia propullularunt vitia, quæ societatem civilem, in humanis necessitatibus, nimium quantum turbant, æquitatemque in contractibus observandis fermè in totum eliminant atque proscribunt: Hinc furta, tam manifesta, quàm nec manifesta, hinc plagium, hinc crimen falsi, quod ita varium, & tam frequenter accidit, quàm ferè sunt actus contrahentium; moneta temeratur, carnes à lanionibus inflantur, ut pinguiores appareant; pistorum brachia oleo madefiunt, ut panes tumescant, formosioresque & grandiores videantur; à mercatoribus stateræ falsantur, ulnæ curvis crenis notantur, quo avarus & ad furta assuetus pollex duplex admetiendi initium ad fallendum proximum habeat.

A 2

Uno

Uno verbo : tot sæpe sunt impostores, quot ferè in urbe homines. Hoc subolens sagacissima Resp. Romana constituit non solum Ædiles, qui habebant curam fori, frangebantque falsas mensuras *l. item quaritur 13. §. si quis 14. ff. loc. conduct.* sed & publicos ponderatores, Libripendes dictos, qui æquâ lance, justisque libramentis aurum argentumque ita ponderabant, ut duobus digitis summitas lini retineretur, tribus reliquis eminentibus, ne illi aliquid ponderi adderent magno provincialium incommodo *l. 1. C. de ponderat. & aur. illat.* Imò, in singulis civitatibus, unus erat publicus auri ponderator constitutus, quem Græci Zygostatem, Hispani Contraste, Galli Essayeur dela monnoye appellitant, ut, si fortè inter solventes aut recipientes aurum dubitatio de ejus valore & qualitate orta fuisset, ipse suâ fide & industriâ contentionem dirimeret, & pecuniam non solum ex impositione solâ extremoque valore, sed ex justo pondere & bonitate intrinsecâ aestimaret, tenebatur quoque signa nummis imprimere & pondus legitimum notare. *vid. l. 2. C. de ponderat. add. Perez. ib. Strauch. Diss. Ædil. priori. D. 3. & seqq. Thomas Lind. in Synopt. Exeges. contract. mutui. D. 66. & seqq.* Dolendum sanè est quod hodiernâ tempestate magistratus in civitatibus aliique Superiores in hac curâ remissiores sint, & injustitiæ habenas cum maximo reipublicæ dispendio ita laxari interdum patientur, cum ob ejusmodi fraudes, quæ circa mensuras præsertim & pondera, contingunt, totâ die hodiernum miseræ audiantur querelæ, crebraque excitentur rixæ atque contentiones. Quapropter è re esse duxi, si quædam de mensurarum ponderumque jure, eorumque effectibus delibarem, & hac ratione publico specimine vitæ meæ Academicæ rationem Benefactoribus redderem.

rem. Circa methodi rationem non adeò fui sollicitus, sed, quam communis Dd. schola dudum probavit, servavi, quæ si ob pagellarum, angustias, intra quas me coarctavi, non accuratè fuerit observata, vel minus commodè, & ad exacti iudicii acumen, quid fuerit positum, ætati juvenili velim tribuas, quæ emendandi, corrigendiq; jus sibi semper reservatum esse gaudet, & scire potius gestit, quàm sciri; quid? in arduis voluisse sufficiat: Cœpto DEUS T. O. M. ex alto benedicat.

CAPUT I.

Definitionem mensuræ ponderisq; tam nominis, quàm rei brevissimè continens.

DE ORIGINATIONE, etymologiâ, & definitione mensurarum ponderumque nimum non erimus solliciti, memores, quod ejusmodi opera partim ad solidiorem Philosophiam, quam jurisprudentiam vocamus, vix pertineat, partim quod lippis & tonsoribus, ut sic loquar, sit notum, quid mensura, quidve pondus; methodi tamen ratio vult, ne penitus ista neglectui habeamus; per pauca itaque libabimus: † ORIGINEM mensurarum quidem ^{1.} *Plinius lib. 7. histor. c. 56.* à Phidone Argivo dependere tradit, verùm num ejus dictis aut Apollinis oracula aut Sybilæ folia sint veriora, ego impigrè non excutiam. † Quantum ^{2.} ad DERIVATIONEM: Hebræi mensuram vocant *mesura*, ^{Origo.} à radice *sur*, i. e. principatum tenuit; dicitur etiam *Schaar*, ^{Derivatio nominis.} quia portæ affigebatur *Besold. de jur. Majest. c. 8. n. 9. in oper. polit. Avenar. in Lexic. Hebr. verb. Schaar.* Ast verò pondus ita est dictum, quòd in staterâ libratum pendeat; hinc & pensum. *vid. Isidor. lib. 16. 14.* Germanicè *Gewicht* à *weegen*. ^{Homonom.} † Variè autem accipi solet, tam mensura, quàm pondus: 4.

A 3

Illā

Illa propriè sumitur pro re mentione facta; ut scriptura à
 scriptione; interdum pro ipsa mentione; uti in *l. si in ven-*
ditione 10. ff. de peric. & comm. rei. v. Aliquando generaliter
 dicitur id, per quod ducimur in rei alicujus cognitionem,
 Martin. in Lexic. voc. mensura. Interdum mensura est,
 quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, ani-
 moque finitur, & ita accipi potest in *Nov. 89. c. 4. l. quod sepe*
35. §. in his 5. ff. de contr. E. Ut plurimum verò sumitur pro
 normâ metiendi, vid. *l. si quis 52. §. majora 22. ff. de furt.*
 & ita quoque accipi videtur à *Theocryt. Idil. 15. ubi: nec tu,*
qui nulli admetiris, mensuram abstergas; ibique *Heinsius ait, an-*
tiquos, quibus malè voluerunt, aut quos decipiebant, iis mensuram
 5. *abstersisse, ne nimium darent, ultra quàm debebant.* † Hoc, sc.
 pondus, quod attinet, sæpe pro onere sive gravitate, sæpe
 pro eo, quod trutinatur, accipitur: abusivè pondus libra est
 una; unde & dupondium, si duo pondera, tripondium,
 si tria sunt pondera, dicitur *Isidor. d. l.* Generaliter sumitur
 pro corpore, quando gravitas rei expenditur & examinatur,
 6. uti in librâ fieri solet, quæ & nostra erit significatio. † Cæ-
 Definitio rei. terum, positâ definitione nominis, rei descriptio facilè strui
 poterit: Est itaque mensura norma quædam à Principe
 præscripta, qua rei mensurandæ quantitatem examinando
 cognoscimus: PONDUS verò est quantitas certa à Principe
 determinata, qua rei ponderandæ gravitatem exactè explo-
 ramus atque expendimus.
 7. † Denique, communiter dividi solent mensuræ in me-
 Divis. dicas, & georgicas, quibus imprimis authores utuntur, vid.
Georg. Agric. de mensuris & ponder. suntque rursus vel LI-
 QUIDORUM, uti apud Romanos, culeus, amphora, urna, con-
 gius, sextarius, hemina, quartarius, acetabulum, ligula, cya-
 tus, &c. vel ARIDORUM, ut, modius, semodius, sextarius,
 hemina, acetabulum, ligula: &c. Itaque eadem nomina
 aliquando aridis, aliquando liquidis accommodantur,
 vid. *Martin. Lexic. voc. men-*
sura.

CAPUT

CAPUT II.

Causam efficientem exhibens.

Ponderum atque mensurarum causa efficiens, tam **JURE I.**
CIVILI, quàm **USU IMPERII**, est majestas: Etenim **JURE** Causa Effici-
CIVILI in Monarchiâ Romanâ soli Imperatores de ponderi- ens Juris Ci-
bus leges expressè tulêre, *vid. l. modios. 9. C. de susceptor. l. du-* vil.
os. 13. eod. & tot. t. C. de ponderat. & defensor. civit. & ne ab iis-
dem defensoribus possessores prægraventur mensuris &
ponderibus, seriò prohibuêre, videsis l. jubemus. 9. pr. C. de
defens. civit. add. Regnaud. de mensur. n. 4. Myler ab Ehrenbach
in metrol. cap. 3. §. 4. n. 4. † Usu IMPERII causam efficientem, 2.
independentem & primariam, majestatem Imperatoris esse, Ex usu Impe-
patet *ex R. 7. de anno 1548. ubi à Carol. V. Principibus & Sta-* rii hodierni.
tibus Imperii potestas circa justitiam mensurarum & pon-
derum fuit demandata, iisdemque insimul sub pœnâ injun-
ctum, ut quilibet in suo territorio peculiari sanctione mo-
dum pro ratione rerum ponderandarum præscriberet; quod
à Rudolpho II. repetitum *vid. in Ordinat. Polit. de an. 1577. tit.*
75. † eandemque constitutionem universalem imperii ob- 3.
servantiam & præjudicia Cameralia undique confirmare, te-
statur Klock. de arar. lib. 2. c. 36. n. 7. Knipsch. de jur. civit. Im-
per. lib. 1. c. 12. n. 32. † Hinc est in aprico, non solum Princi- 4.
pibus immediatè subjectis fuisse hanc de mensuris statuen-
di potestatem, sed ab ea Civitates Imperiales quoque non An Civitati-
excludi; Quandoquidem status sunt, utpote votum deci- bis Imperial.
sivum in comitiis habentes, quod patet ex Instr. Pac. art. 8. competat jus
§. 4. add. Burgold. ad Instr. Pac. p. 3. D. 10. Dn. Bechm. ad A. B. statuendi cir-
pag. 180. & hoc quidem subordinatè dictis civitatibus conce- ca mensuras
dit Hermes. injur. publ. cap. 31. Atque eo ipso jura Superiorita- vel pondera?
tis, die Landes hohe Obrigkeit / & regalia interterritoriis sibi Aff.
vindicant suis, Rutger. Ruland. de Commiss. part. 2. lib. 5. cap. 4.
num. 41. Dn. Simon. in Disp. de Idict. territ. cap. 4. §. 10. ubi Dis-
sentientes refutat, nec non jura Principis habent, & vi-
cem Principis obtinent Gail. 2. obs. 57. num. 7., ut tantum pos-
sint

sint in suis territoriis, quantum Imperator in imperio, *Gail. de arrest. c. 9. n. 1. Mev. ad jus Lubec. qu. pralim. 1. n. 37. & seqq.*

5. *Dn. Beckm. ad A. B. Carol. IV. Imp. pag. 208.* † Ergo eo ipso, quo status sunt imperii, & superioritatis jure gaudent, etiam legum ferendarum jus exercere possunt, quippe quod prædictæ prærogativæ annexum est. *Sprenger. Jurispr. publ. p. 47.*

6. † & hæc de immediatè subjectis sufficiant, nunc de mediatè subjectis agendum erit; Quæstio igitur sit nobis, an nimirum Civitates municipales gaudeant prædicto jure statuendi circa mensuras & pondera? Disting. Dd. inter civitates

An Civitates
municipales
eodem gau-
deant jure?
Dist. inter tria
genera civit.

7.
Quorum pti-
mum.

(1.) Jdictionem omnimodam, merum sc. & mixtum imperium habentes, & (2.) civitates Jdictionem communem cum suo superiore habentes, & (3.) inter civitates omni Jdictione carentes. † PRIMUM GENUS civitatum quod attinet, sunt

nonnulli, qui hanc prærogativam iisdem concedunt, ex hac ratione, quod Jdictio & potestas statuendi sint connexa, inter quos est *Heig. p. 1. qu. 23. num. 32.* † Verùm Heigio fortiter repugnat *p. m. Magn. Cancell. Job. Vietor. Decis. 13. num. 2.*

8. ex hac ratione, quod potestatem legis condendæ non habeant, eo quod non præsumatur, superiores civitatibus suis municipalibus concedendo Jdictionem, & unà concedere voluisse supremum hoc regale, mutandi jus commune, in

9. ipsorum territorio usu receptum; † atq; hoc usu observari te-

10. statur *Hahn. tit. ff. de leg. n. 3. verb. decreta.* † Nisi (1.) confir-

Limit. 1. matio superioris, in cujus territorio habitant, accedat, *Hahn.*

d. l. Richter. p. 1. decis. 3. Coler. de process. execut. part. 1. c. 3.

num. 13. Job. Vietor. Decis. 14. ubi melius & consultius es-

se tradunt, consensum & confirmationem Principis adhi-

beri; & hoc quotidie fieri testatur *Schneidw. in comment. 7. de*

J. N. G. & Civ. §. jus autem civile. 1. num. 14. in fin. & ita Can-

cellariam Waldec. judicasse testis est *Job. Vietor. d. l. n. 2. & 3.*

11. † Vel (2.) nisi civitas privilegio ferendarum LL. gaudeat,

Limit. 2. uti post *Bart. in l. omnes populi 9. ff. de J. & Jur. docent Sprenger. in Jur. publ. p. 47. Magn. Dn. Præses, Promotor studiorum,*

12. *meorum æternum colendus, in Synt. Jur. Civ. Ex. 2. §. 41.* † Vel

nisi ex usu mensurarum & ponderum tempore immemoriali

jus

jus quæsitum habeant, ac in possessione vel quasi existant; tunc enim tempus immemoriale privilegii naturam induit *l. hoc jur. 9. ff. de aq. quot. c. duo simul de offic. ordin. X. de V. S. R. 7. de anno 1548. §. Wenn auch / Myler ab Ehrenb. d. tr. c. 5. §. 5. n. 1. & seqq. Job. Vietor. d. l. n. 5. † Hinc ex dictis fluit, quid de* **13.**
 secundo & tertio civitatum genere sentiendum; an nimirum illæ participant de jure statuendi circa mensuras & pondera? Distingvunt *Job. Vietor. in Epit. Decis. concl. 38. sub fin. sub Præs. Job. Brunnem. Samuel Stryk. in Disp. de Dardanar. c. 7. num. 10. & seq.* Inter ponderum vel mensurarum constitutionem, earundemque constitutarum inspectionem; **ILLAM** denegari civitatibus concurrentem cum suo superiori jurisdictionem habentibus, vel eadem planè carentibus, nullus est, qui dubitat. † Nisi privilegio Imperatoris vel sui Principis sint munitæ. *Conring. de O. J. G. cap. 28. p. 141. sub præs. Dn. Job. Christoph. Falcknern Dn. Christ. Ernest. Reichenbach in Disp. de statutis cap. 3. n. 17. vel præscriptione immemoriali jus* **14.**
 quæsitum habeant, per ea quæ supra. **n. 9.** † **QUOD HANC** sc. **15** inspectionem, concernit, eam ad Magistratus loci ordinariorum pertinere statuo cum *B. Job. Vietor. d. concl. 38. num. 2. Thom. Mich. de Jurisdic. 0. 103. lit. C. Dn. Stryck. d. Disp. c. 7. n. 12.* **2.** **Constitu-**
ubi etiam inferiori Magistratui jus reformandi pondera atq; mensuras concedit, si fortè eveniat, corrumpi à quibusdam ponderum mensurarumque quantitatem, eandem vel augmentibus, vel minuentibus, pro animorum suorum avaritia explenda: & hoc puto verum esse sive id occultè, sive manifesto factum fuerit, modò formam atque quantitatem ex architypo ipsius Principis desumat, arg. l. modios. 9. C. de susceptor. ibique & ad l. aurum 13. C. eod. Brunnem. Knichen. de jurisdic. territ. c. 4. n. 384. Klock. de contribut. c. 1. n. 172. Gothofred. ad l. pen. ff. de fals. lit. Z. **tarumque in-**
 inspectionem. **16.**
 † Qua de re solent in bene constitutis rebusp. à Principe **17.** (utpote in quem potestas creandi Magistratus translata *in l. Custodes & un. ff. de leg. Jul. ambit. Myler ab Ehrenb. in metrol. cap. 9. §. 3. Ekholt. in Comment. ff. t. de leg. Jul. ambit. §. 3.)* **visitatores**
 certi mensurarum custodes atque visitatores constitui, qui vendentium mensurarum
 pondera, ulnas atque mensuras, quoties necessitas efflagi-
 tat.

B

at.

tat, in sciis & non commonefactis mercatoribus, exactè vi-
 sitant, & ad architypum probant, ut, si quà adulterinas ac
 falsas deprehenderint mensuras, publicè frangant, *arg. l. item
 queritur. 13. §. si quis 8. ff. locat. & Magistratui competenti
 fraudatores indicent, arg. l. pen. ff. ad L. Corn. de fals. l. anno-
 nam 6. §. fin. ff. de extraord. crim. Hering. de Molend. qu. 45. n.
 22. Mev. ad jus Lubec. lib. 4. tit. 12. art. 1. n. 24. † Aut, si qua*
 17. de justitia mensurarum oriatur controversia, vel novæ con-
 ficiendæ sint ulnæ, ad architypum Principis, qui in publico
 asseverari solet loco, recurrant ad rei veritatem inquiren-
 dam, *arg. l. modios 9. C. de suscept. Rittersh. part. 3. Novel. c. 15.
 num. 2. Dn. Stryk in d. Diss. c. 7. n. 7. ubi illud pluribus adhuc
 in locis observari asserit, add. Mev. ad jus Lubec. part. 4. tit. 12.*

18. Hinc quoque laudabile & summe utile est jus Geraniæ
 seu mensurationis (*Die Krähnen-Gerechtigkeit*) quod autho-
 ritate Principis ad evitandas navigantium fraudes & utili-
 tate vectigalium, exponendis, compingendis, mensuran-
 disque mercibus publicè constitutum, *Dn. Rhetius in Diss. de
 jure portuum c. 4. num. 14. & seqq. Dn. Strauch. de Imper. maris.
 c. 7. §. 6. Dn. Schottel. de singularibus & antiq. in Germ. jurib. &
 observatis c. 24. n. 1. ubi quoque ait, daß der Kran sey/ein gros-
 ses befestigtes Instrument / mit einem grossen Rade / darinn man
 gehet / und es umbtritt / und also schwere Lasten darmit leicht auf-
 zeucht. & n. seq. ait: Wo Zoll und sonst ander Ungeld von denen
 Wahren muß entrichtet / und die Last und das Gewicht erkundiget
 werden / ist der Kran hoch nötig / und hat das, Kranrecht seinen
 grossen Nutzen.*

CAPUT III.

FORMAM Mensurarum

exhibens.

1. FORMAM mensurarum & ponderum constituemus vel ES-
SENTIALEM sive intrinsecam; vel ACCIDENTALEM sive
2. extrinsecam: De hac inferius: † ILLA, utpote consistens in

in solâ quantitate à Principe præscriptâ & determinatâ, rursus erit vel UNIFORMIS, vel MULTIFORMIS:

† Quantam Imperio nostro, singulisque in eo jacentibus provinciis, utilitatem UNIFORMITAS ponderum atque mensurarum importare queat, Magni Viri suboluere: Plannè utilissimum fore, si varietas mensurarum ad omnimodam parilitatem reduceretur, svadent atque inculcant *Limn. in jur. publ. lib. 4. c. 8. num. 157. Schütz in Disp. jur. publ. 6. 6. 20. lit. I.* † Fraudes profectò, quas Deus justissimus severissime abominatur *Deuter. 25. v. 13. 14. Levit. c. 19. v. 35. Ezech. 45. v. 10. & aliis sacre Scripturae locis*, ut & alia inconvenientia, quibus quies publica sæpe turbatur, uti queritur *Joh. Bodin. de rep. lib. 1. c. 10. num. 169.* facilius evitari possent, si uniformis ubique reperiretur mensurarum ac ponderum æqualitas, juxta illud:

Una fides, pondus, mensura, moneta sit una

Et status illesus totius orbis erit.

† Hinc Imp. Carolum M. prædictam uniformitatem mensurarum in toto constituisse Imperio, testatur *Aventin. lib. 4. hystor. Bojar. fol. 287.* Idemque Carolum V. in animo habuisse, patet ex *Reform. guter Policey zu Augspurg de anno 1530. tit. Von Ehl, Maß und Gewicht.*

† Sed ubi effectus saluberrimæ Imp. Constitutionis? Certè in paucis hanc observari territoriis, experientia ad omnium Comitatus toparchiis diversa reperitur mensura:

† Hinc tot irrepsere fraudes mercatorum, molitorum, aliorumque, quos ita avaritiæ instruxit genius, ut cautissimum etiam, vel ipsum Argum circumveniant.

† Solet autem fraus ista circa mensuras dupliciter potissimum fieri, (1) mensuras vel pondera FABRICANDO, (2) falsis mensuris sive ponderibus UTENDO, quanquam non rarò hæc etiam conjunctim reperiantur. † PRIOREM quod concernit modum, quin enormiùs & graviùs peccet fabricator, mensurarum quantitati quid addendo, quidve detrahendo, nulla dubitatio subest; † eo enim ipso non solum

Mensurarum uniformitas svadetur.

De difformitate conqueritur.

Inconvenientia, quæ ex difformitate oriuntur.

Fiuntque vel fabricando falsas mensuras:

10.

in legem Superioris sui, & in charitatem proximi, sed etiam in ipsam legem naturæ impingit, quæ alterum alterius damno locupletari non permittit *l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb. l. 206. ff. de R. J.* ideoque criminis falsi se reum efficit *l. xi. pen. ff. ad L. Corn. de fals. l. 6. §. fin. ff. de extraord. crim. †* & si in alterius usū suas adulteratas concesserit mensuras, & inde læsio alterius fuerit subsecuta, furti quoque tenetur *l. si quis 52. §. 12. §. majora 22. ff. de furt. †* POSTERIORI modo, utens sc. non aliter eodem tenetur crimine, quam si, mensuras falsas & adulteratas fuisse, sciverit *d. l. si quis 52. §. 22. de furt. l. 18. §. 3. ff. de dol. mal. add. Martin. Coler. de aliment. lib. 1. cap. 17. num. 34. pag. 481. †* Quod tamen FALLIT (I.) in eo, qui quotidie ponderibus atque mensuris uti suevit; v. g. si myropola, qui falsâ usus fuit mensurâ, criminis falsi accusatus se excusare vellet, quòd mensuram ab alio acceperit, fortè commodato, adeoque ignorantiam falsitudinis hujus prætenurus esset, certè non audiendus esset; Enim verò mensurarum, quibus uti voluit, æquitatem vel iniquitatem prius inquirere debuisset, quàm secundum earum quantitatem merces aliis venderet suas; paria enim in jure sunt, scire, & scire debere, per *l. quod te mihi 5. ff. de R. C. Gl. in L. qui cum alio 19. pr. ff. de R. J. Dambuder. prax. crim. cap. 125. n. 9. †* Nisi scire planè nequiverit; mensurâ v. g. ad unum actum commodatâ, ut propter penuriam temporis in earundem falsitatem inquirere non licuerit; & ita *d. l. 52. §. 22. ff. de furt. intelligendam esse puto. †* Sunt enim interdum ita fraudes falsariorum occultæ, ut vix longiori temporis spatio à cautissimo quodam indagari possint, quale exemplum nobis exhibet *Joh. Henr. Voigt. in sua arithm. jurid. exempl. 45. quod huc transponere non tædet: †* Titius multum butyri, picium, caseorumque Hollandicorum per longum tempus à Cajo mercatore emens, domi suæ pondo mercium percontaturus, easdem ponderat, sed deficientiam semper quandam in quantitate videt: hinc, & aliis perceptis falsi indicii, criminis falsi mercatorem accusat, qui elisurus accusationem, offert magistratui una cum bilance omnia sua pondera,

Vel scienter
utendo falsis
mensuris.

Fallit. I.

Limitatur
fallentia,

Exemplum.

dera, quibus justis repertis, obiterque consideratâ bilance,
 mercator, tecto adhuc dolo, insons accusati criminis de-
 claratur; Ast Titius injuriarum timens accusationem, pe-
 tit, ut Commissario Mathematicus quidam adjungeretur
 ad pondera exactius examinanda, hic tonnulam piscium,
 ab unâ parte bilanci imponens, pondera ab alterâ, lances de-
 prehendit æqualiter pendentes, tonnulâ cum ponderibus
 mutatâ, ab unâ parte lanx in altum levatur, atque tonnulâ
 24. pondo levior deprehenditur ponderibus ipsis: Hinc demû
 vidit Mathematicus stateram bilancis paulo propendere lon-
 gius ab una, quam ab alterâ parte, lancibus tamen æqualiter
 dependentibus, linguaque cum trutinâ exactè concordan-
 te, & ita fraus mercatoris palam facta est: Singularis quoq;
 fraudis in venditione lapidum commissæ speciem Collegio
 Juridico Jenensi oblatam nobis exhibet *Magn. Dn. Praeses in*
πρόκλητο ἐπιτομείοις ad Dissert. Crimin. 8. θ. 21. p. 310. † FALLIT (2.) 17.
 si utrique contrahenti tam emptori, quàm venditori, falsi-
 tas mensuræ fuerit notoria; Contrahentibus enim majori
 minorive mensurâ contractum celebrare licitum est per
l. imperat. 71. ff. de contr. Empt. ; † Ratio, quia pacta contra-
ctui dant legem, l. in emptionib. 43. ff. de pact. l. 1. §. 16. depos. l.
52. de V. O. l. 23. de R. V. vid. Petr. Gregor. Tholos. lib. 39. cap. 1.
num. 12.

† Quid autem si uterque contrahentium ignoraverit
 falsitatem mensuræ, ponderis, vel ulnæ, & emptor inde læ-
 datur? Resp. Cessante hoc casu crimine falsi, utpote quod
 citra dolum & scientiam non committitur, §. *item lex 7. I. de*
publ. jud., emptorem actione empti, quod sibi deest à ven-
 ditore pro ratâ pretii indebitè soluti posse petere, ne exinde
 damnum sentiat, per *l. si quis à me 32. ff. l. si duorum 42. ff. de*
A. E.; Venditor enim non prius censetur rem venditam
 tradidisse, antequam de mensurâ appareat, arg. *l. suo victu 18.*
ff. de oper. libert. Natta Cons. 489. n. 1. Myler ab Ebreub. in me-
trol. c. 6. §. 17. num. 1. ubi quoque ait, jus, petendi hoc sup-
 plementum mensuræ, esse perpetuum, & ad 30. annos du-
 rare per *l. omnes 4. C. de prescript. 30. vel 40. ann. Carpzov. p. 2.*

c. 33. d. 11. n. 10. cū error calculi ac mensurationis perpetuo
tollī & emendari possit l. 1. C. de error. calcul. l. emptor 47. §. 1.
Brunn. ad l. 1. C. Gastel. in spec. jur. univers. c. 40. num. 18. p. 288.

20. † Hinc vicissim quæri potest, utrumne venditor emptori,
ob solutum pretium in monetâ pondere diminutum, cujus
tamen solutionem vi conventionis prædefinito tempore in
bonâ monetâ debebat, exceptionem compensationis objice-
re queat? Respond. Positâ utriusque contrahentis læsio-
ne, distingui posse, an venditor, quod deest emptori in

Disting.

21. merce, præstare possit, an verò non; † Si prius, nullatenus
Ratio prioris. venditor compensare potest, quia (1.) ad rem venditâ præcisè
(1.) tradendam obstrictus est, adeò, ut ne quidem præstando
interesse liberetur l. servus 30. §. 1. l. bona fides 50. ff. de Contr. Empt.
arg. l. 13. ff. de re judic. l. si quis 32. ff. de A. E. Magn. Dn. Struv. in

Syntagm. Jur. Civ. Ex. 33. §. 107. Brunn. ad l. 1. ff. de A. E. num. 3.
Ekholt in comm. ff. eod. §. 2. jam verò (2.) merx cum pecuniâ
(2.) tanquam species cum genere compensari nequit, per ea quæ
Wes. t. ff. de compens. num. 6. in fin. ibiq. Ludw. Magn. Dn. Struv.
Ex. Synt. 7. Civ. 21. §. 18. n. 4.

22. † Sin posterius, affirmativa erit vera; Rei enim de-
Ratio poste- bitæ non amplius existentis æstimatio est præstanda. Nov. 4.
rioris. c. 3. per l. si domus 71. §. 3. ff. de leg. 1. Gail. 1. obs. 62. num. 6. Dn.
Struv. Ex. 7. Civ. 16. §. 36. 39. quæ cum pretio tanquam sum-
ma cum summâ, sive tanquam quantitas cum quantitate
compensari optimè potest, vid. Ludw. Ex. 11. §. 8. l. e. in fin. Dn.
Struv. d. Ex. 21. §. 19. n. 2.

23. † Verumtamen à quonam tempore valor monetæ sol-
Q. A quonam vendæ in præcedenti casu sit inspiciendus altioris est inda-
tempore va- ginis? Verissima est sententia, si mutatio monetæ contige-
lor moneta rit, sive in bonitate intrinsecâ, sive extrinsecâ, secundum
hic inspici- eam bonitatem faciendam esse solutionem, quam habuit
dus sit? tempore contractus, Gail. 2. obs. 73. num. 3. Ludw. ad Wes. t. ff.
de R. C. num. 12. verb. atque etiam eodem valore Dn. Struv. d. Ex.
16. §. 29. & seqq. † Idque ita, ut diminutio ligæ seu pretiosi-
tatis in Schrot und Korn ad periculum debitoris spectet Co-
varr. in coll. vet. numisma. cap. 7. §. 1. num. 3. Viv. lib. 2. dec. 184.

† ETIAM-

† ETIAMSI CONVENERIT venditor cum emptore de pretio cer- 24.
 to tempore in certa monetæ specie (v.g. 100. Nthl. in specie) Ampliatio.
 solvendâ, si intra tempus solutionis pondere fuerit diminu-
 ta, ceu in terminis mutui decidit *Magn. Dn. Struv. d. Ex. 16.*
0. 34. Habn. ad Wes. tit. ff. de R. C. n. 12. verb. ipsa mutui datio p.
(m.) 478. hoc autem non solum in mutuo, sed quoque in
 emptione verum esse, ait *Brunnem. ad l. creditorem 99. ff. de*
solut. num. 2. pacta enim contractui dant legem & in con-
 trahentium est potestate, quibus mensuris aut pretiis ven-
 ditionem velint celebrare, nec quispiam cogitur vendere si
 pretium displiceat *l. Imperatores 71. ff. de Contr. E.* † Igitur in 25.
 aliâ monetâ pretium accipere venditor non tenetur, quàm
 de qua fides habita fuit tempore contractus, per §. emptio 1.
l. de Empt. & Vend. §. vendita 41. l. de R. D. l. 9. verb. placito pre-
tio C. de Contr. Empt.; In obligationibus enim dandi non
 aliter debitor liberatur, quàm re debitâ in individuo præsti-
 ta *l. 13. ff. de Re judic. l. 75. §. fin. ff. de V. O.* † Nisi talis mone- 26.
 tæ species non amplius extiterit, in quam compromissum, Limit.
 fuit tempore contractus; tunc enim creditorem cum aliâ
 æquè bonâ contentum debere esse monetâ, æquitas præci-
 pit, *arg. d. Nov. 4. c. 3.* † Nunc pari modo perspiciendum, 27.
 an tempus contractus sit inspiciendum, si v. g. inter contra-
 hentes conventum fuerit, ut res vendita post 6. menses
 mensuræ subjiciatur, ac interea mutatio mensuræ à Prin-
 cipe contingat? Respondetur omninò; quia (1.) eadem
 hîc militat ratio; ubi autem eadem ratio, idem quoque jus
 locum habet, *l. illud questum 32. ff. ad L. Aquil. arg. l. 1. §. quod*
vulgò 25. ff. de vi & vi arm. l. Prætor 1. §. 1. ff. de fonte. Menoch.
conf. 399. num. 10. lib. 4. (2.) quia quoque nemo vendere co-
 gitur, si mensurâ displiceat, uti se habent verba *d. l. Imperato-*
res 71. ff. de Contr. Empt. (3.) quia venditor de mutatione
 mensuræ verisimiliter non cogitavit, pacta autem contra-
 ctuum de iis intelligenda, quæ tunc apparent, non quæ fu-
 tura sunt *Brunnem. ad l. in lege fundi 77. ff. de Contr. Empt. n. 2.*
 † Nisi tamen inter veterem & novam mensuram æquiva- 28.
 lentia per justum calculum inter contrahentes ineatur, ita
 ut neuter eorum lædatur, v. g. si 5. modii frumenti essent
 ven-

Q. An tem-
 pus contractus
 sit inspi-
 ciendum, si v.
 g. inter con-
 trahentes con-
 ventum fue-
 rit, ut res ven-
 dita post 6.
 menses men-
 suretur, ac in-
 terea mutatio
 mensuræ à
 Principe con-
 tingat.
 Resp. Aff.
 Ratio. 2.



venditi, modius autem quadrante augetur à Principe territorii intra terminum solutionis, ad mensurentur 4. modii dicti frumenti; tunc enim, cum neutri amplius interfit, venditor quoque de injuriâ sibi factâ queri non potest, sed statuti ac legibus Principis sui parere cogitur; unaquæque enim lex humana obligat omnes, qui sunt partes illius communionis, pro quâ lex fertur, *Fr. Suarez. lib. 6. c. 26. num. 6.*
29. † & facit huc, quod statuta obligare dicantur ex jurisdictione statuentium; omnes ergo, qui sub ista sunt, sine dubio astringunt, *Sebast. Medices tr. de LL. & statutis part. 4. quest. 8. Hunn. encycl. c. 5. num. 1. Mev. quest. pralim. 3. n. 1. Dn. Struv. Ex. 7. C. 32. 8. 15.*

30. † **Quæstio quid de forenfi sentiendum?** Quid autem de FORENSI sentiendum, cui ex prædio censitico, quod in statuentis territorio possidet, debitor censualis quotannis certos frumenti modios obligatus est solvere, an ille quoque, secundum præcedentis quæstionis limitationem *num. 28.*, canonem juxta novum & reformatum modium recipere teneatur? Respond. quod sic; † Ratio, quia (1.) forensis se formare debet secundum statuta loci, in quo bona sita reperiuntur, *arg. l. 2. ff. quemadm. test. a. per. l. si fundum 6. ff. de Evid. Bart. in l. 1. C. de summ. Trinit. † habetur enim (2.) pro subdito respectu fundi in statuentis territorio siti, arg. l. cum unus 12. §. is qui 1. ff. de reb. author. jud. poss. Gemin. consil. 8. col. 1. Mascard. de statutis concl. 8. n. 36. lib. 1. cum juramentum Domino loci bonorum fitorum præstet, vid. Zachar. Vietor. Avi mei piâ memoriâ honorandi ex empt. im-*

Ratio 1. 31. per. concl. 29. num. 8. † ETIAMSİ clericus sive Ecclesiastica sit personâ *Zach. Vietor. d. l. num. 11. Job. Vietor. in Epit. Decis. concl. 3. num. 6. Myler ab Ebrenb. in metrol. c. 6. §. 2. num. 6. Dn. Struv. Ex. 7. Civ. 9. 8. 49.* † (3.) quia locus solutionis attenditur, si contractus celebretur, ut certi frumenti modii præstentur, *per l. si prædium 16. C. de præd. & aliis reb. nim. l. 38. ff. de judic. Ast verò locus solutionis ibi est, ubi res est sita per l. cum res 47. §. sed si 1. ff. de leg. 1. E. forensis in reformatâ loci rei sitæ mensurâ canonem accipere tenetur.*

Ratio 2. 32. Ampliat. 33. Ratio 3. 34.

35. † Non multum absimilis videtur quæstio, an, venditione

su putat, emptorem curare debere, ut fundus mensuretur, intra 60. dies, intra quos, non invento jugerum numero à venditore pronunciato, fundum redhiberi posse, quibus autem elapsis, non audiri ulterius per *l. quod si nolit 31. §. si quid 41. ita 22. ff. de Ædilit. Edict.* Item POSTERIORI casu mensuram intra anni spatium putat esse instituendam, arg. *l. qui gravatur 5. C. de censib. & censitor. & peræquator.*

42. † Sed neutrum casum, nisi fallor, verum esse puto:
Quæ refuta- NON PRIOR; Enimverò (1.) Myler ab Ehrenbach. d. l. sim-
tur ex ratio- pliciter 90. dies posuit, cum tamen ejus alleg. *l. 31. §. 22. ff. de*
ne (1.) *Ædil. Edict.* de 60. utilibus loquatur diebus, quæ ignorantibus non currunt *l. 55. ff. de Ædil. Edict. Eckolt. t. ff. de divers. & tempor. præscr. §. 2. p. 693.*; jam verò per mensurationem perfecta demum scientia magnitudinis fundi acquiritur; ergo ipsa mensuratio intra 60. dies non debet præscribi, sed potius dicti 60. dies à tempore mensurationis deberent cursum
(2.) 43. ordiri, juxta Myleri ab Ehrenbach. hypothesein. (2.) Actio redhibitoria non nisi ob vitium aliquod qualitatibus locum habet, v. g. si prædium pestilens fuerit, herbas lethiferas habens, *l. si prædium 4. C. l. Etiam in fundo 49. ff. de Ædil. Edict.*; non autem merx ob defectum quantitatis redhiberi potest per *l. Ædiles ajunt 38. §. fin. eod. l. domum 57. pr. & §. 1. de contr. empt. l. 6. pr. de A. E.* NON POSTERIOR; Est enim hoc speciale in *d. l. qui gravatur 5. C. de censib. & censitorib.*, quod gravati à peræquatoribus, emenso anno, de injusto onere ulterius conqueri non possint; jam verò ab ejusmodi à peræquatore gravatis argumentari ad emptores, est argumen-
44. tari velle, ab exceptione ad regulam: † Prodest itaque emptori mensuratio ad hoc, ut actionem empti instituere possit, atque pretium pro rata partis deficientis repetere *l. si servum 4. §. 1. l. Julianus 13. §. si Titius 14. de A. E. l. qui libertatis 69. §. ult. de Eviçt. Dn. Struv. Exerc. J. C. 23. 8. (m.) 13.*, quæ actio in perpetuum currit, adeoque mensuratio quoque in perpetuum emptori conducit *Carpzov. p. 2. c. 33. d. 11. num. 10.*
Dn. Struv.

Dn. Struv. d. 8. 13. sub fin., ubi ita in Collegio Juridico Jenensi responsum esse docet.

† Cæterum, si conventum fuerit, ut quodocunque placuerit, fundus mensuretur, & si non inveniatur quantum dixerit venditor, redhibeatur, ad præscriptionem mensuræ 30. anni præterlapsi requiruntur, per *d. l. 31. §. 22. ff. de Ædil. Edict. d. l. 40. in fin. verb. quamvis multis post annis ff. de Contr. Empt. l. omnes 3. C. de præscr. 30. vel 40. annorum Aug. Be-ro. qu. famil. 5. n. 1. Thessaur. d. l. vid. supr. n. 19.*

† LIMIT. tamen, si certum tempus mensurationi ita fuerit determinatum, ut nimirum emptor in 60. diebus proximis fundum metiretur, & de modo renunciaret, & si ante eum diem non renunciasset, ut venditoris fides soluta esset. *l. qui fundum 40. pr. ff. de contr. empt. l. 4. C. de Ædil. Edict. l. 31. §. 22. ff. eod.* Tunc enim sibi imputet emptor, quod nimis credulus fuerit, atque tempus mensurationis suâ culpâ neglexerit *d. l. 40. vers. nam si hoc ff. de Contr. empt.* † Secus tamen est, si aut mora per emptorem fuerit, ut alia justa causa intercesserit, cur mensuratio intra præfinitum tempus fieri non potuerit, *d. l. 31. §. in causa 23. ff. de Ædil. Edict. l. 5. ff. l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. Thessaur. d. l.*; Tunc enim tempus iudicis arbitrio prorogatur sive extenditur *Næv. ad d. l. 31. §. 23. ff. de Ædil. Edict.*

† Hæc de tempore, intra quod mensuratio possit fieri; Nunc ulterius investigandum, an sc. actione empti teneatur venditor vineæ & prati, quodlibet eorum 20. jugerum pronuncians, si in postfactâ mensuratione comperiatum pratum 5. jugeribus esse minus, in vineâ verò tantundem exuperare? Affirmativam contra Paul. tenet *Labeo in l. 1. ff. de A. E. 42.*; ex hoc præcipuè fundamento, quoniam venditor tenetur ad id, quod pronunciavit; at si in emptione modus dictus est, & non præstatur, ex empto est actio, ceu fatetur ipse *Paul. l. 2. 4. §. 1. l. 34. ff. de A. E.* Nec

C 2

exce-

exceptione doli actorem repellat venditor, quia dolo nihil facit emptor, qui ex empto agit ob minorem modum prati; jure autem suo qui utitur, nemini facit injuriam *l. 155. §. 1. ff. de R. 7.* nec proderit venditori, quod in vinea minorem modum dixerit, & inveniatur major, quoniam id compendium ad emptorem potius adhibere volunt.

50.
Negativa
Paulo verior
videtur.

† Contrariam tamen tanquam æquiore sententiam tuetur *Paul. in d. l. 42. in fin.* ubi ait, rectius esse, lucrum cum damno compensari, & si quid deest emptori, sive pro modo sive pro qualitate loci, hoc ei refarciri; non enim ex aliena jacturâ lucrum quis facere debet *l. planè 38. de hered. pet. l. cum hi. 8. §. 22. ff. de transact. l. 206, de R. 7.* † Quomodo autem emptorem agentem reus elidat, monstrat *d. l. plane;* sc. officio judicis, qui etiam non oppositâ doli exceptione, in judiciis b. f. compensationis habebit rationem; † Sin autem econtrâ in vineâ 15. reperta fuerint jugera, in prato verò 25., cû qualitate prati respectu vineæ minus habeat emptor, actione empti venditor ipsi tenetur *l. si in qualitate 22. ff. de A. E.;* quam largum enim fœnus præ reliquis prædiis reddant vineæ, notabili exemplo confirmat *Columel. lib. 3. cap. 3.*

53.
Contrarius
casus ex co-
dem fundam.

Ratio 1.

† Hinc vicissim æquitatis jubet ratio, ut venditor pronuncians utrumque pratum 20. jugerum esse, si post factâ mensuratione, in uno quidem prato 20. in altero autem 25. reperiantur jugera, pretium auctum accipiat ab emptore, integrabina prata retenturo, *d. l. qui fundum 40. §. qui agrum. 2. ff. de Contr. empt. vid. Carpz. p. 2. c. 33. d. 9. n. 7. lib. 5. resp. 47. Dn. Gastel. in spec. jur. univ. c. 25. num. 175.;* Non enim (1.) lucro emptoris debent esse 5. ista jugera, quæ abundant, cum nemo locupletari debeat cum alterius injuriâ *l. 206. ff. de R. 7. l. 28. ff. de dol. mal.* (2.) quia error circa quantitatem veniens venditori noceri non debet *l. cum ab eo 41. §. fin. ff. de Contr. Empt.* (3.) quia emptio ad mensuram facta, non prius videtur perfecta, quàm si jugera pratorum ad mensa & adnumera fuerint *l. quod sæpè 35. §. 5. de Contr. empt. l. 10. §. 1. ff. de peric. & comm.*

Et comm. rei v. Carpz. p. 2. c. 33. d. 9. n. 4. Magn. Dn. Pras. c. 8. Decis. Sabbath. 23. † etiam si unum pretium omnium jugerum in 14. semel (h. e. conjunctim simul) dictum fuerit *d. l. quod saepe §. 7. in fin.*, adeo, ut ante ad mensurationem omne periculum ad venditorem spectet, *d. l. quod saepe 35. §. 5. Et 7. ff. de Contr. empt. d. l. 10. §. 1. Dn. Struv. Exerc. 23. §. 101.*; † quod tamen de periculo rei, interitu sc. prati venditi, non verò de periculo deteriorationis ejusdem, qualitate nimirum in pejus mutatâ, intelligunt *Brunn. ad l. fin. ff. de peric. Et com. rei vendit. num. 59. cum Carpz. p. 2. c. 26. d. 26. Frantzk. in comment. ff. eod. num. 22. per l. necessariò 8. pr. ff. eod.* † Igitur decrementum aut incrementum valoris rei, & si ante mensurationem contingat, ad emptorem spectat *Molin. Dis. 366. in tr. de J. Et J. quem allegat. Brunnem. ad l. si post. 9. ff. de peric. Et Com. rei vendit. num. 17. ad l. 35. ff. de Contr. Empt. n. 5. cum alleg. quandoquidem ratione formæ vel consensus, quoque ante mensurationem, emptio sit perfecta *l. 2. C. de peric. Et comm. rei vendit. Gl. in l. 1. C. eod. Brunnem. ad d. l. fin. num. 60. ubi num. seq. tradit, quòd etiam periculum interitus ante ad mensurationem emptoris fiat, postquam rei traditio fuerit facta, per arg. contrarium d. l. 2. verb. antequam tradatur C. de peric. Et comm. rei vendit. Conf. l. quod si 14. §. 1. ff. eod. Magnif. Dn. Pras. c. 8. Decis. 24.* † LIMITATUR tamen prædictus casus, (1.) si, si non tam limitationis, quam demonstrationis causa, numerum jugerum venditor expresserit; *Molin. in d. Tr. 2. D. 367. num. 8. Dn. Struv. d. Exerc. 23. §. 12. Brunneman. ad d. l. fin. de peric. Et comm. rei vendit. num. 32. 33. Et seqq. † Il-* 58. ludque ex verbis contractus, mentem contrahentium explicantibus, colligendum est; ut, si vox circiter (bey nahe) fuerit adjecta, *Resold. consil. 267. Carpzov. p. 2. c. 33. d. 11. num. 8.*; aut vox *Uberpausch* *Brunneman. d. l. num. 40.*; aut si à corpore inceptum fuerit, & postea subjecta sit mensura, ut pratum venditum cognosci possit *arg. l. cum servo 63. §. 1. de contrab. empt. Dn. Struv. d. l. Brunnem. d. l. fin. num. 38.* & ita *Lipsienses pronunciaffe testatur Carpzov. d. l. num. 10.* † & hoc casu 59.*

Restri&

Limit. 1. casus præcedentis.

C 3

emptor

emptor quoque omne periculum tam rei interitus, quam
ejus deteriorationis sustinebit *l. si quis 4. §. 6. ff. de peric. &
com. rei vend. l. si venditione 10. §. 1. ff. eod. l. 62. §. fin. ff. de Contr.
Empt. Dn. Struv. d. Exerc. 23. §. 101. Brunnem. ad d. l. fin. n. 31. Gastel.
d. c. 25. num. 175. & ita in praxi receptum & in consilio Nea-
politano decisum esse, refert *Afflictus decis. 68.*, uti & in judi-
cio Elect. Saxon. *Rauchbar. qu. 21. num. 9.*, sicuti testatur,
Frantzkius de act. empt. num. 121. & seq., quos sequitur quoad
praxin *Dn. Lauterb. de jure in curiâ mercat. usq. §. 144.* etsi de
jure malit affirmare, ut, si minus reperiatur, venditor sup-
plere debeat, si plus reperiatur, hoc cedat lucro emptoris;
v. g. mercator grossarius, per averfionem vendens, si cistam
sacchari, quæ habet 100. pondo, vendat, cum solùm 90. ad-
60. sint, ait *Lauterb.*, quod venditor debeat 10. supplere: † Sed
hoc forsitan tunc verum est, si, ex more regionis, mercato-
res cistas 100. pondo sacchari repletas soleant communiter
vendere, vel si cistæ inscriptum fuerit, tot pondo inesse; tunc
enim non per averfionem, sed limitativè venditionem fuisse
factam, censendum est.*

Limit. 2. 61. † **LIMIT.** supra dictus casus (2.) si venditor, qui com-
pertus, quod plus dicto sit in re venditâ, rem tamen tradat
absque protestatione; tunc enim donare præsumitur *l. si quis
donationis 38. de Contr. empt. l. donari 82. ff. de R. J. l. 29. ff. de donat.*;
cujus enim per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati
donatio est *l. cujus 53. ff. de R. J. Dn. Struv. Ex. 40. §. 3. n. 1. Eckolt. t.
ff. de donat. §. 3. n. 4.*

Limit. 3. 62. † **PEPELLITUR** quoque (3.) venditor, si mensorem do-
lo falsum modum renunciaffe emptor probaverit; quia aliàs
locupletaretur emptoris incommodo, si ei deberet solvi,
quod reverà eidem non debetur; quin emptor, si indebitum
hoc solverit, à venditore condicere potest *l. si duobus 3. §.
Pomponius 2. ff. si mens fals. m. d. l. si mensor 5. §. 1. eod. Dn. Struv.
Ex. 15. §. 63.*; Cui autem actio datur, eidem multo magis ex-
ceptionem competere, notissimi juris est *l. invitus 156. §. 1. ff.
de R. J. l. 112. eod.*

† Hinc

† Hinc emergit quæstio, annon emptor, si secundum 63.
 falsam mensoris renunciationem solverit, regressum adver-
 sus mensorem habeat; Distinguit *Ulpian. in l. adversus 1. §. 1.*
ff. si mensor fals. m. d.; an nimirum dolo vel latâ culpâ men-
 for falsum dixerit modum; an verò imperitè vel negligen-
 ter fuerit versatus; Si Prius, excutiendus prius venditor est,
 quàm adversus mensorem agatur *d. l. si duobus 3. §. 2. d. l. 1.*
§. 1. eod. Dn. Struv. Exerc. Jur. Civ. 15. §. 63. Myler. ab Ehbrenb. c.
13. §. 24. n. 1.; actiones enim honorariæ, qualis nostra actio
 est, non competunt, civili existente, *l. 15. l. 16. pr. ff. de minor.*
West. ff. si mens fals. n. 5. Dn. Struv. Exerc. 8. §. 3.; venditore igitur
 solvente, contra mensorem agi nequit, *d. l. 3. §. 2. d. l. 5. §. 1.*
ff. si mens.; non enim actio competit, si interesse desit, *arg. l.*
si procurator 8. §. 6. ff. mandat. Brunnem. ad l. 11. C. de pact., &
bona fides non patitur, ut idem bis solvatur. l. 57. ff. de R. 7.
 † Sin autem excussus venditor non solvendo extiterit, in- 64.
 subsidium mensor tenetur, & cum effectu in residuum con-
 veniri potest. *d. l. si duobus §. 2. & 3. d. l. 5. §. 1. ff. si mensor.*
 Dissent: *Felinus in c. quia indicante 9. X. de prescript. n. 2. & 3.*
Hieron. de Monte de finib. reg. cap. 33. num. 4. putantes, rectâ
 viâ mensorem ex dolo falsum modum dicentem teneri; Qui-
 bus quoad mercedem, à mensore repetendam, non repugna-
 rem, cum civilis ibi deficiat actio, *per l. adversus 1. in fin. ff. si*
mens. † Sin POSTERIUS, ubi nimirum neque lata culpa neque 66.
 dolus mensoris probari potest, quem probatu difficilem vo-
 cat *Dn. Struv. Ex. 15. §. 63. in fin.*, sed is negligenter & imperi-
 tè in mensurando fuerit versatus, securus mensor est, sibiq;
 partes imputent, quod talem adhibuerint; visum enim est,
 satis abundè solum coërceri mensoris dolum, cum civiliter
 nō sit obligatus, *d. l. 1. §. 1. ff. si mens. §. 3. in fin. l. quib. m. re. contr. obl.*
Scotan. in Exam. jurid. d. t. ff. si mensor. & c. qu. 4. † Nec distingvi- 67.
 tur an à iudice, an à partibus assumptus sit mensor *d. l. 3. §. 4.*
ff. eod. Dn. Struv. de Ex. 15. §. 65. Brunnem. ad l. 2. ff. eod. n. 4., sive
 mercedem acceperit, sive nullam *Brunn. d. l. per l. 1. §. 1. eod. Diss.*
Zaf. eod. n. 1. Nav. ad d. l. 1. §. 1. ff. si mens.
 † Fallit tamen in mensore publico, qui constitutus ad hoc 68. Fallit.
 offici-

Qr. An em-
 ptor ad fal-
 sam mensoris
 renūciationē
 solvens re-
 gressum ad-
 versus men-
 forē habeat?
 Distingvitur.
 † 64.
 Eius mem-
 brum prius,

membrum
 posterius.



officium juratò promisit, se neque lucri causâ, neque inimicitii, neque gratiâ mensurandi suum munus petentibus impertiturum, arg. l. comparationes 20. vers. omnes autem C. de fide instrum. Hieron. Cagnol. ad l. 2. C. de Resc. Vend. num. 259.

69. Myler ab Ehrenb. d. c. 13. §. 14. † Si igitur suâ negligentia, vel saltem imperitiâ in relatione mensuræ damnum intulerit, illud resarcire tenetur, arg. l. si servus 27. §. 29. ff. ad L. Aquil.

70. l. 7. §. fin. eod. † Equidem impericia alicujus rei per se culpa non est, est tamen culpa in eo, qui peritiam professus est §. 7. l. d. t. l. 8. pr. ff. eod.; culpa autem nemini, nisi auctori, nocere debet, l. factum 155. ff. de R. 7. † Cùm non infre-

71. quens sit, ut mensor, si aliis curis & negotiis districtus, ipsemet in persona mensurationem obire nequit, honorarium tamen, quod sperat, ægrè dimissurus, alium ad ejus officium subeundum substituatur; Hinc solet quæri, si substitutus

Q. An substitutus teneatur, substituto dolo vel negligentia falsum modum dicente? Affirm.

dolo vel suâ negligentia falsum dixerit modum, an nihilo tamen minus contra substituentem actio detur? Resp. quod sic; Est enim notorium substitutum officium administrare cum damno substituentis, l. nullus 60. l. 64. C. de Decurion.

Affirm.

Roman. consil. 338. Decius ad l. 1. pr. quod quisque jur.; Proinde sibi imputet mensor, quod imperito opus delegaverit, quod ipsius industriæ & peritiæ fuit commissum l. vel per 2. §. 1. ff. si mens. arg. l. 27. §. 34. ad L. Aquil. debuisset enim supparem sibi substituuisse, vid. Wiss. D. 32. §. 15. Brunnem. ad l. si procuratorem 8.

72. Dissidentes refutantur.

72. §. 2. ff. mandat. † Sunt nonnulli, inter quos Geminian. cons. 114 Jacob Strozzi de potest. vicar. lib. 3. qu. 31. num. 3. qui hoc fecus se habere asserunt, si non tam dolo, quam negligentia & imperitiâ substituti, falsâ mensura sit renunciata, cùm ex propriâ culpa privatus mensor non teneatur, per ea que supr. num. 66., culpam autem non dolum committi delegando minus idoneo negotium sibi commissum l. cum hi 8. §. 17. ff. de transact.; sed contra expressum textum l. vel per 2. §. 1. ff. si mens. fals. ubi Paulus ait: dolo malo versatus es, qui tali homini credidisti; & ita in simili casu respondit Farin. in prax. crim. qu. 31. num. 54. & seqq. add. Dn. Gastel. in spec. jur. c. 25. num. 84.

73. † & si plures sint mensores, singuli in solidum tenentur.

Doring.

Doring. in biblioth. lit. a. num. 6. p. 332. Ut tamen solutione
unius reliqui liberentur Wes. t. ff. si mens. n. 4. Frantzk. cod. n. 8.
Zesius cod. n. 2.

† Antequam ad alia me accingam, in hoc tramite per-
spiciemus, cujusnam sumptibus in dubio modo dicta mensu-
ratio fieri debeat? Sunt nonnulli, qui sumptibus petentis e-
andem putant instituendam, per regulam: quod quis fieri
efflagitat, id expensis ejus fieri debet per l. quoniam 11. C. de
Testib. Balduin. in l. 3. §. defendi in fin. ff. quib. ex caus. in poss. Cru-
vett. lib. 2. cons. 236. n. 15. † Alii verò sumptibus ejus cujus in-
terfit, mox sc. emptoris, mox venditoris, eandem fieri debe-
re contendunt per l. si duobus 3. §. 1. ff. si mens. inter quos est
Boër. decis. 51. in fin. Salicet. in l. si quis C. de fin. reg.

† Rectius autem, utriusque partis expensis prædictam
mensurationem semper faciendam esse, statuunt Faber ad §.
quadam actiones 20. l. de act. n. 39. Schneid. ad eund. n. 9. Olden-
dorp. c. 3. act. 14. fin. reg. quem sequitur Dn. Linck. in Diss. de jur.
fin. cap. 3. §. 8. add. Brunn. ad l. 4. §. 1. ff. fin. reg. pro quibus mili-
tat textus clarus in d. l. sed & loci 4. §. 1. † etiamsi de mensu-
ratione nihil fuerit conventum, sed una pars, in sciã alterã, e-
andem susceperit d. l. 4. §. 1. in fin., quia semper utriusq; verti-
tur utilitas, tam emptoris, quàm venditoris, cum huic quo-
que interfit fidem ejus solutam esse l. 40. ff. de Contr. Empt. per
l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. ff. si mensur., Imò sæpe magnitudo agri vendi-
ti fidem & opinionem venditoris exasperare contingit, vid.
d. l. 4. §. 2. & l. 22. ff. de A. E. Ergo emptori non imputet ven-
ditor, quod aliquid fecerit, ex quo tamen ipse lucrum vel in-
teresse sentit arg. l. cum in fundo 78. §. 2. de jur. dot. add. Georg.
Marsman. intr. mathem. jurid. p. 2. c. 10. n. 21.

† Si mihi liceret paulò adhuc remotiùs exspatiari, non
pauca de mensuratione miliarium in medium possent pro-
poni; verum timens, (ut cum Plauto loquar) face & viati-
co in longo & clivoso hoc itinere mihi opus fore, satiùs du-
co intra terminos me continere; Ne tamen prorsus inta-
ctam controversiis spinosam hanc relinquam materiam, u-
nicum saltem miliare levi saltu & sicco quasi pede percur-
ram;

D

ram;

74. Cujus sumptibus in dubio mensuratio debeat fieri?
Resp. Alii quod petentis.
75. Alii ejus, cujus interest.
76. Rectius quod utriusque contractantis semper fiat sumptibus.
77. Ampliat.

Casus 79. ram; † Casus igitur esto: Civibus Corbacensibus Comi-
tatus Waldeccensis jus braxandi intra milliare privative fuit
concessum, paucis Toparchiæ Isenbergicæ pagis exceptis,
qui ab hac concessione sunt exempti, ita ut æquè ac cives
prædicti jure braxandi gaudeant, referente *Vietore Decis. 42.*

80. n. fin. † Plura circa hunc casum essent consideranda, sed hac
vice in 4. eum membra dispecamus: 1. Igitur sciendum,
quid intelligatur per milliare; an nimirum spatium aliquod
itineris, quod secundum vulgi opinionem & usurpationem
ita dicitur; an verò requiratur, ut certa terræ quantitas pro
milliari à Principe fuerit præscripta & determinata. 2. quo-
modo mensuratio debeat fieri. 3. considerandus terminus
à quo 4. terminus ad quem.

81. † Primum quod attinet; requiritur omninò, ut millia-
ria certum aliquod spatium, definitamque longitudinem,
à Principe territorii vel expressè præscriptam, per ea quæ
supra cap. 2. in terminis mensurarum strictè ita dictarum
& ponderum latius deduximus, vel tacito Principis consen-
su certum aliquod spatium per legitimam consuetudinem,
pro milliari sit receptum, uti rectè *Marsman. in tr. mathem.*

82. *jurid. cap. 7. p. 1. n. 13. p. 186.* docet, † sed in hoc cum eo face-
re non possum, quod etiam in puncto probationis omnem
vim milliariibus vulgaribus amputare audeat, putans, quan-
tum ex eo *n. seq. 14.* colligo, vulgaria milliaria nunquam
mensurata præsumi, *add. eund. d. cap. 7. p. 2. n. 57. n. 65. p. 262.*

83. & *seq. n. 71. & seqq. n. 80. p. 278.* † Enim verò vulgi opinio-
nem ab antiquorum metiendi ratione originem sumpsisse,
valde verisimile est, *vid. Mascard. de probat. concl. 527. & 1669.*
modò testes etiam ex vulgo super distantia loci fuerint exa-
minati, qui rationem scientiæ suæ reddant, sibi nimirum cum
suæ conditionis & ætatis hominibus in more fuisse positum,
tot vel tot horas milliari, de quo controversia est, æquè ac
aliis non controversis ejusdem territorii milliariibus eundo
impendere, *per l. continuus 137. §. cum ita 2. ff. de V. O. ibiq; Bar-*

84. *tol.* † Si igitur unus vel alter huic famæ credere nolit, ei
probatio contrarij incumbit *Mascard. d. l. n. 5.* & ita in Can-
cellariâ

cellariâ Waldeccensi responsum esse testatur *Victor. Decis. 40.*

num. fin.

† Secundum quod concernit membrum. *Bart. in l. si 32.*
quis caut. Goden. conf. 12. n. 6. & alii distingvunt, an mensu- Casus me na
brum secun-
dum.
ratio, propter spatium eundi & redeundi, sit ineunda, &
tunc eam per terram & quidem per viam magis frequenta-
tam fieri debere; an verò versemur in terminis privilegii vel
statuti de braxando intra milliare, & tunc mensurationem,
si loci dispositio (quia fortè palustris & spinosus est) non
patiatur, ut per terram fiat mensura, per aëra Geometricè es-
se faciendam. † Verùm *Jasoni & Castrensi in d. l. 1. verior & 38.*
commodior videtur mensuratio per terram; Non enim ho-
mines per aëra volitant, sed per multos montium circuitus
& viarum anfractus itinera peragunt sua, quid igitur aëris
mensura ad rem facit? *Alciat. in l. 3. ff. de V. S. adde Marsman.*
d. c. 7. p. 2. n. 63. p. 259. Victor. d. l. n. 12. ubi ex Alex. conf. 22. n. 3.
quoq; refert, dimensionem secundum aquæ cursum fieri de-
bere, si statuto cautum fuerit, quod novum molendinum,
nisi centum perticis à reliquis distet, ædificari non possit, ubi
quæque ratio.

† Cæterum consuetudine est receptum, ut prædicta di- 84
mensio secundum quantitatem jugerum vel virgularum
fiat, teste *Marsman. d. tr. c. 10. n. 9.*; jugera autem respectu
virgularum cum variant, cujusvis loci consuetudo erit at-
tendenda, *vid. Masc. de prob. concl. 1059. n. 3.* † In Saxonia, 85
verò solet mensuratio hæc per rotam fieri, teste *Dn. Gastel. in*
spec. jur. univers. c. 25. n. 449. p. 564. Wehnero in obs. pract. verb.
Meil. ex Gl. Landr. lib. 3. art. 66 ubi: Daß eine Meile haben soll
60. Gewande und iegliche Gewande 60. Ruyten / und eine Ruyte
achthalb Ehlen / solche Ehlen / welche in iedem Gericht / da die Mes-
sung geschehen soll / gewöhnlich. Et ita Lipsiensis, & Hallensis
non pridem pronunciaffe testatur *Marsman. c. 6. n. 6. & seq.*
† Sed hæc mensuratio Saxonica quoad longitudinem mil- 86
liarium displicet *Goden. conf. 12. n. 13. Köpen. det. 16. n. 13.*, præ-
supponendo, quòd secundum hanc computationem 3600.
virgulæ unum milliare constituent, cum tamen duo faci-

D 2 ant,

ant, uti ipse fatetur *Marsm. d. l. n. 13. p. 129.* putans inde nihil
nimii (sunt verba Marsmanni) metuendum esse, cum in
Saxoniâ milliaria per varios montes & colles, variosque viæ
regiæ circuitus mensurentur; Sed hæc ratio, parum, ut ut
potestas Electoris Saxoniz salva sit, vel nihil, facit pro opi-
nionem suâ stabiliendâ, cum & in aliis terræ regionibus ejus-
modi colles & montes haut rariores, si non plures, dentur,
nec undique terra Saxonica montibus est oblita.

Membrum
tertium,

90. † Tertium quod spectat membrum, maximè contro-
vertitur inter Dd., an milliare debeat mensurari à muris vel
porta urbis, an verò à continentibus ædificiis? *Marsm. d. tr.*
6. 8. n. 32. quòd debeamus à continentibus ædificiis incipere
91. docet *ex l. mille passus 154. ff. de V. S.* † Veruntamen verius vi-
detur jure civili jam dictam mensurationem, nec à continen-
bus ædificiis, nec à muris, sed à milliario urbis esse inchoan-
dam, uti existimat, secundum lectionem *Gotbofr. in d. l. Vie-*
tor. Decis. 42. n. 3. Enim verò milliarium (quod à lapide non
discernitur *in l. 1. §. initio ff. de offic. pref. urb.*) columna qua-
dam erat in capite Romani fori propè ædem Saturni, in
quam omnes Italiæ viæ terminabantur, hoc est, initium &
finem capiebant; ab ea quippe columna milleni passus in
viis omnibus lapidibus notati *Fr. Hottomann. §. qui autem 16.*
Inst. de Excus. Tut. Dion. lib. 54. histor. Tacit. lib. 17. & alii, quorū te-
stimonio hanc confirmat opinionem *Salmuth. ad Guid. Pan-*
92. *ciroll. in tr. rer. memor. tit. 16. p. 277.* † Illudque inde proba-
bile videtur, quia suburbia non constantem semper retinere
solent magnitudinem, ita ut mox augeantur numero ædifi-
ciorum, mox verò minuantur ædificiis, & sic quoque oportet
vel milliare primum, termini à quo, fieri brevius reli-
quis, vel, saltem primum initium obscuraretur, ideoq; non
sine ratione *Gotbofr. d. l. invertendam ait d. l. 154. de V. S.* legen-
dumq; : mille passus non à continentibus ædificiis, nec à muris
93. sed à milliario urbis numerandi sunt. † De jure tamen Saxo-
nico *Dn. Job. Strauch. in Diss. de cent. lap. urbis. ad §. initio 4. n. 11.*
refert, quod à portâ urbis ad sepes pagi per regiâ viâ milliaria
initium & finem capiant. *Coler. d. 215. Gassel. in spec. jur. univ. c. 25.*

1177.

num. 449., & ita facultatem Jenensem de jure respondisse te-
statur *Richt. vol. 1. conf. 67. ibi.* Demnach sprechen wir vor
recht / daß / woferne nicht ein anders beständig hergebracht / mit
der Messung der Meilen von dem Stadt-Thor anzufangen / und
biß zum Anfang der Häuser oder Eingang des Dorffs zu ver-
fahren. *B. N. W. add. Scheffer. qu. 24.*

† Tandem (4.) cum milliaria à puncto quasi ad pun- 94.
ctum debeant mensurari, ita ut jure civili ad centesimum Membrum
lapidem debeat unumquodque milliare finiri, quivis in ea quartum.
arte peritus tibi terminum ad quem exactè monstrabit, siqui-
dem limitata causa limitatum quoq; producit effectum *l. in*
agris 16. ff. de acquir. rer. domin. Wes. part. 2. conf. 52. n. 43. quid
verò jure Sax. obtineat ex præcedenti patet responso, *add.*
Marsman. miliol. c. 9. p. 2. n. 45. & seqq.

† Hactenus vidimus, quæ circa formam mensurarum 99.
intrinsecus fuerunt observanda, nunc proficiscemur ad reli- Forma Ex-
qua, visuri quid extrinsecus in iisdem notandum erit. trinseca.

Quandoquidem adulterinæ à publicè probatis vix di-
stingui possent mensuræ, ut falsarii aut dardanarii absque
metu parvis sua frumenta modis incautis obruderent colo-
nis, non abs re fuit, ut signum sive character imprimeretur Character seu
mensuris, quo cuilibet intuenti justitia mensuræ patesceret. signum men-
vid. *l. diurnos 2. C. de frum. Alex. ubi Impp. Theodosius & Valent.* suris impri-
tesseris mensuras designari pie jusserunt *Bart. d. l. & Gl. Mev.* mendum,

ad jus Lubec. part. 4. t. 12. art. 1. n. 22. quod postmodum usu
invaluisse testatur *Gothofred. in l. pen. ff. ad L. Cornel. de. fals.*
lit. Z. vid. Guid. Pap. qu. 40. † Quo autem omnis metus corru- 96.
ptelæ aut falsationis averteretur, in sanctissimâ uniuscujusq;
civitatis Ecclesiâ pondera & mensuras publicè servari reli-
giosè jussit *Imper. Justin. in Nov. 128. c. 15.*, cujus rei adhuc ho-
diè in templis præsertim Abbatiarû, vestigia extare, testis est
Dyon. Gothofr. d. lit. Z. & quid de moribus Italiæ, Galliæ, nec
non Germaniæ & in specie Ducatus Würtenb. obtineat vi-
des. ap. Myler ab Ebreub. in metrol. c. 7. §. 2. n. 2. & seqq.

† Veruntamen cujusnam insigni vel cauterio mensu- 97. Qr. Cujus
ræ sint notandæ, quæstionis adhuc est? Resp. Cùm signum insigni men-
suræ sint no-
publi- tandæ.

publicū dominiū & quasi possessionis sit nota, arg. l. *stigmata* 3. C. de fabricens. *ibid.*, Lucas de Penna col. 2. Andr. Knichen. de jur. super. cap. 3. n. 411. add. Hopping. de jur. sigill. c. 6. n. 1036. ubi habet, quod arma & insignia altioris dominiū & possessionis sint symbola; hinc fluit, quod solius ejus insignia ad hoc sint assumenda, qui jure statuendi de mensuris gaudet, per l. 2. de frum. Alex. *ibid.*, Rebuff.; † Nemo enim signa apponere potest, ubi non habet jus superioritatis c. *dilecta* X. de exc. Pralat. Brunn. ad l. 2. C. ut nem. priv. tit. *præd.*, adeo, ut si quis Principis sigillum bonis appendat suis, ei bona sua incorporare censeatur *Sebast. Nev. ad l. 1. C. d. t.* † Hinc est quoque, ut imponens suā auctoritate mensuræ suæ Principis signum, tanquam falsarius puniatur, teste Baldo in l. 1. C. *quæ res venire non possunt.* Myler ab Ehrenb. in *metrol. c. 8. §. 6. n. 1.*

99. † Hoc loco quæri non incommode potest, quid de eo Quid si quis sentiendum sit, qui mensuris publicis s. architypis in curiâ mensuræ pu- vel alio loco publico affixis sigilla detrahit, corradit, vel alio blicæ signum modo deturbat atque corrumpit? Resp. Illum teneri de albo affixum de- corrupto per l. 7. ff. de *jurisdic.* §. 12. l. de *act.* Harpprecht. ad §. 2. trahat, cor- *de interd.* Cujus pœna hodie arbitraria est, vid. Brunnem. rumpat &c. ? ad l. 7. ff. de *jurisdic.* Gastel. d. c. 25. n. 14. & si non habet in ære, luat in corpore, Brunn. d. l. n. 4. limitationes refert Habn. d. t. 100. ff. de *jurisdic.* n. 13. verb. *nisi error.* Oldendorp. cl. 1. art. 3. † Hinc positis præmissis, positâ tam egregiâ de mensuris atque ponderibus Principum curâ, signo impresso, custodiâ in loco publico sitâ, vix ac ne vix quidem falsarii sub prætextu ignorantia delictum suum excusare poterunt, vid. l. *modios* 13. C. de *suscept. præpos.* Est enim inexcusabilis in actu publicato ignorantia Bruckm. *conf.* 21. n. 128. Cacheran. *decis.* 101. Dn. Struv. *Ex.* 48. d. 9. Idcirco si absque ejusmodi suprædicto stigmate, publico mensuræ inveniantur, per Magistratum frangendæ sunt, arg. l. 13. §. 8. ff. *locat.* Guid. Pap. *decis.* 490. n. 2. Mascard. de *pro-* 101. *bat. concl.* 1048. n. 5. † & puniendus est, qui non signatas mensuras tenet, etiam si privatæ sint, cum hæ publicis adæquari omninò debeant, arg. d. l. 9. C. de *suscept.* Myler ab Ehrenb. d. c. 3. §. 3. n. 1. ubi not. *seqq.* idem in Ducatu Ferrariæ, Würtenb. & in provinciis Belgicis observari, testatur. CAP.

CAPUT IV.

Ubi de Effectibus mensurarum vel ponderum agitur.

EST autem effectus, ponderum & mensurarum à Principe
suis subditis constitutarum duplex; alius sc. primus, qui
est obligatio; alius inde Ortus, qui est contravenientium
pœna. † ILLE est, quod omnes subditi, quibus ponderum
mensurarumve quantitas præscripta est, ad strictissimam e-
jusdem observantiam sint obstricti, per l. nam & 2. ff. & l. le-
ges 3. C. de LL. † Hinc qui ponderum vel mensurarum sua-
rum normam ex architypo Principis desumere tenentur,
eamque Principis signo notare obligantur, actum subjectionis
committunt, illiusque superioritatem agnoscunt per l.
modios 9. C. de susceptor. Andr. Knichen. de jur. territ. concl. 72.
in fin. sunt enim subjectionis τειρησιον, Besold. conf. 3. c. 2. in
fin. & ita in Camerâ referendo & ferendo suffragia observa-
ri testatur Adrian. Gylman. in symphor. tom. 1. tit. 6. vot. 3. n. 29.
† Qua de re suadent publicitæ statibus Imperii exemptis, ut
in civitatibus, castris & pagis suis in aliorum territorio sitis
mensuris utantur diversis à Domini territorii mensuræ ar-
chitypo, ut, si fortè lites ratione Landfessionatus movean-
tur à Domino territorii, promptam habeant probationem,
se se non de territorio ejus esse, per d. l. modios 9. C. de defen-
sionib. civit. Knipschilt. de jur. civit. imper. lib. 1. c. 12. n. 79. † quod
tamen ad mediata imperii membra trahendum non est, cum
hæ vel ex gratiâ Principis, vel oppignoratione vel alio modo
hoc jus obtinuisse potuerint; non enim præsumitur v. g.
municipium per se ejusmodi effectus jurisdictionis habere,
per ea qua c. 2. n. 4. & seqq. † Quare, si tale municipium, vel
nobilis quidam, ex gratiâ Principis jus cognoscendi de men-
suris ac ponderibus acquisitum habens quantitatem men-
surarum mutare audeat, jure suo privari potest per l. fin. C. de
Revoc. donat; † etenim hoc casu videtur solummodo tuitio

Effectus

Primus

Cautela

& CO-

& cognitio mensurarum concessa, non ut quid circa quan-
 titatem mensurarum mutare possit nobilis, *Gothofred. ad l.*
 8. *pen. ff. ad L. Corn. de fals.* † Hinc constitutum reperitur in
 Turonensibus consuetudinibus: *Si le seigneur inferieur, qui*
est tenu adjouster sa mesure au sep & estalon de son Superieur. use
de plus grande ou moindre mesure, il pert & est decheu de son droit
de bailler mesures, & est amendable d' amende arbitraire. † Cæterū
 notandum, quod pro eo militet præsumptio, qui mensurā,
 ponderibusve utitur signo Principis signatis, ideo enim si-
 gna imponuntur rebus, ut ab aliis discerni & cognosci pos-
 sint, *vid. Bald. ad auth. dos data C. de donat. ante nupt. Chassan. in*
 10. *cat. al. gloria mundi in indice sub voc. signum.* † FALLIT tamen (1.)
 si character signi non satis appareat & perspicuus sit; eo e-
 nim deficiente, tanquam formā extrinsecā mensuræ, effectus
 quoque deficiat necessum est; per ea quæ *Mascard. de prob. concl.*
 1502. n. 52.; paria enim sunt, non esse, & non apparere, *Nicol.*
 11. *Everb. de fide instrum. c. 12. n. 52.* FALLIT (2.) si possessor in-
 famis & sublestæ fidei sit, qui mensuras corruptas antehac
 habuit, vel ipsemet corrupit; tunc enim semel malus sem-
 per malus præsumitur, *per reg. 8. de Reg. Jur. in 6. cap. 15. caus.*
 22. q. 5.
 † Hæc de effectu primo, nunc alter effectus sequitur,
 nempe POENA: Verum cum eadem non una contravenien-
 tibus inveniatur imposita, levi brachio eandem evolvemus
 & in ejus varietatem inquiremus: *In l. annonam 6. §. 1. ff. de*
extraord. crim. Divus Trajanus in edicto pœnam legis Cor-
 nelix in eos statuit, qui adulterinis stateris vel mensuris an-
 nonam onerant, perinde ac si lege testamentaria, qui testa-
 mentum falsum scripsisset, signasset, recitasset, damnatus es-
 set; legem autem testamentariam heic legem Corneliam de
 falsis esse monstrat §. *Item 7. l. de publ. jud. l. 30. pr. ff. ad L.*
Corn. de fals. quæ postea in *l. instrum. 16. §. 1. d. t. & d. §. item 7.*
 ad alia genera falsitatis extra testamentum commissa exten-
 sa est; inter quæ & nostrum crimen, nimirum corruptio
 mensurarum earumque usus deprehenditur in *d. l. pen. ff. ad*
 14. *L. Corn. de Fals. vid. Farin. qu. crim. 150. n. 76.* † Igitur delin-
 quens

Mensura Prin-
 cipis signo si-
 gnata præsu-
 mitur justa.

Fallit. 1.

Fallit. 1.

Effectus OR-
 tus.

Pœna de jure
 Civili.

quens circa menfuras, pondera, vel ftateras (eadem enim
eorundem est ratio) pœnæ legis Corneliæ, quæ in liberis est
publicatio omnium bonorum, in fervis verò ultimū suppli-
cium d. §. 7. I. de publ. jud. l. 1. §. fin. ff. ad L. Corn. de fals. Carpz.
in prax. crimin. p. 2. quest. 93. num. 16., subjicitur, ac præterea
specialis ipsi pœna applicatur, quæ exprimitur in d. l. annon.
6. §. 1. & 2. de extr. crim. & in d. l. pen. ad L. Corn. de fals., quòd sit re-
legatio in insulã, & dupli præstatio, add. Brunn. ad d. l. pen. † Per 17.
duplum autem intelligitur præcisè duplum ejus damni,
quod per falsam mensuram datum fuit Menoch. lib. 2. A. 7.
cas. 217. Mev. ad jus Lubec. part. 4. tit. 12. art. 1. num. 8. † & hanc 18.
pœnam dupli in falsis ponderibus & mensuris adhuc
hodiè in usu esse, asserunt Mev. d. l. num. 17. Brunneman. ad Wesf.
2. ff. de furt. quest. 34. & in supremis curiis quandoque cum
relegatione observari, tradit Matth. Coler. decis. 179. part. 1.
† Illud addendum hoc loco, quod Jure Civ. Ædiles falsas 19.
menfuras & pondera frangere debuerint, aut comburere, per
l. item queritur 13. §. si quis 8. ff. Locat. ibiq. Gothofr. † eandem- 20.
que fractionem ante januam ejus, qui falsis mensuris usus
est, debere fieri, tradit Schepliz. ad consuet. march. p. 4. t. 6. §. 1.
num. 3. † nec hanc fractionem omnino hodiè exolevisse, 21.
scribit Dn. Strauch. in vindem. jur. rac. 4. palm. 5. n. 3.

† De jure autem CANONICO in hos quoque statuta est 22.
pœna, qui menfuras ac pondera lucri causa mutare fuerint de Jure Ca-
aufi, cogunturque hi per 30 dies in pane & aquâ pœnitere, nonico.
per c. ut mensura 2. X. de Empt. & Vend. Dambud. pr. crimin. c. 25.
num. 6. Menoch. in arbitr. judic. 2. cas. 317. num. 3. Coler. de ali-
ment. lib. 1. cap. 17. num. 34. & si pœnitentiam agere nolint,
excommunicari possunt. Abbas ad d. c. ut mensura 2. & Schnei-
dew. ad §. fin. I. de Empt. Vend. num. 14., † cum autem hodiè 23.
pœnitentiæ ferè omnes sint arbitrariæ, dicta quoque jejunii
pœna 30. dierum à Sacerdote minui, augerive potest per c. 36.
dist. 50. c. 5. dist. 90. c. 2. cap. 26. q. 7. c. mensuram 86. de pœnitent. dist.
1. Gregor. Tholos. in Syntag. l. 36. c. 1. n. 11.

† CAROLUS V. in Const. Crimin. art. 113. pœnæ modum, 24.
arbitrio judicis reliquit, adeoque, ut pro gravitate delicti de Jure Ca-
reus rolino.

E

reus rolino.

reus vel in exilium possit mitti, vel pœnæ corporali, puta fu-
 stigationi, subjici vel etiã, crimine sæpius iterato, ultimo sup-
 plicio affici *Zieriz. ad C. C. d. art. 113. add. latè Carpz. prax. cri-*
 25. *min. quæst. 93. num. 74. & seq. Mev. d. art. 1. num. 8. †* Quan-
 quam autem *in d. art. 113. C. Crim.* Imperator de illis tantum
 videatur loqui, in sensu conjuncto, qui sc. mensuras falsant
 26. & pro justis utuntur; † Veruntamen cum eadem militet
 ratio in eo, qui vel falsavit solùm, alteri adulteratas mensu-
 ras ad decipiendum commodans, vel qui falsis alium dece-
 pit mensuris, quas ipse non fabricavit, meritò in sensu dis-
 juncto ad utrumque extendi possunt *verba d. art. 113. vid. al-*
 27. *leg. à Barbof. locupl. in thesaur. lib. 10. c. 10. axiom. 10. †* Non-
 enim præsumitur, Imp. Carolum V., qui satis gravem falsari-
 is hinc *in d. art. 113.* dictavit pœnam, ut quoque ad ulti-
 mum supplicium reus trahi possit, juri civili derogare in
 hoc passu voluisse; jus autem civile evidenter utrumque,
 tam fabricantem falsas mensuras, quàm utentem iisdem,
 puniendum velle, ex subsequentiibus luce meridianã clariùs
 28. *Q. An* patebit. † Qua de re quæstio fiet, an & quam pœna u-
 quomodo u- tens falsis mensuris, quas alias fabricavit, sit afficiendus?
 tens falsis Distinctio *c. 3. n. 12.* hinc erit repetenda inter eum qui igno-
 mensuris sit ranter, & eum, qui scienter utitur falsis ponderibus sive
 puniendus? mensuris: ILLUM quod concernit, plurimi eum indistinctè
 Dist. à pœnã immunem esse statuunt *per l. nec exemplum 20. C. ad L.*
 29. inter ignorantem. *Cornel. de fals. l. majorem 4. C. eod. (2.)* quod ignorans non
 dicatur delinquere, *arg. l. 4. ff. de O. & A. l. 2. ff. si quis in jus voc.*
 32. qui vel *Menoch. in A. 7. lib. 2. cas. 186. num. 12. Farin. p. 4. crimin. quæst.*
 culpã caret. *149. num. 161.* † Verùm subdistingvendum hic quoque erit,
 utrum scire potuerit, vel non; si non potuerit scire falsita-
 tem mensuræ, non reluctor dissentientibus; quis enim cul-
 pã arguet eum ob usum falsæ mensuræ, cujus falsitatem ad-
 hibitis omnibus nervis explorare diligentissimo etiam non
 licet? *add. Covarr. in c. aliam mater p. 1. §. 10. num. 6. v. g. si ad*
 unicum actum alicui mensura vel ulna commodato sit data,
 ad mensurandam rem, quæ moram pati nequit.
 35. vel culpa † Sin autem scire potuerit, non excusandus est, quan-
 non caret. doqui-

doquidem (1.) paria sunt scire, scire posse, vel scire debere,
per l. quod te 5. ff. de R. C., vel verisimiliter sive probabiliter
id suspicari posse & debere, per l. si quis 9. §. 1. ff. locat. l. 3. §. fin.
& l. seq. 4. ff. quod vi aut clam, aliàs (2.) melioris conditionis es-
sent negligentes & stulti, quàm diligentes & periti d. l. 4.
(3.) quia ille procul dubio culpæ est reus, qui mensuræ stig-
ma Principis imprimi non curavit, quod tamen debuit, per
ea quæ supr. c. 3. num. 78. & seqq., quia (4.) ignorare quod
publicè manifestum est, supina & affectata est ignorantia,
quæ in doli suspicionem incidit, & neminem excusat, l. nec
supina 6. de ignor. jur. & fact. Mascard. de probat. concl. 879. Gail.
2. observ. 48. num. 16. Hahn. ad Wesenb. t. ff. de ignor. jur. num. 3.
verb. quia quisque jus. † Minori tamen pœnâ ob negligen- 36.
tiam suam esse puniendum æquitas postulat l. 13. §. 1. ff. de fals.
Perez. eod. t. C. num. 3., & si ante sententiam pœniteat, atque
usu falsæ mensuræ absteineat, pœnam non meretur l. si falsos
8. C. eod. ibiq; Brunnem. : † modò innocentiam suam pro- 37.
bet, ac eum, à quo falsam accepit mensuram, exhibeat sive
nominet l. majorem 4. C. d. t. ibiq; Brunnem. add. Farin. in crim.
quest. 159. num. 50.

† Hunc sc. scientem falsitatem mensuræ, quod attinet, 38.
ille à pœnâ non est immunis, etsi alius fabricator mensura- & scientem:
rum fuerit, per l. pen. ff. ad Legem Corn. de fals. d. l. 6. §. 2. ff. de
extraord. crimin. Carpzov. quest. crimin. 93. num. 82. Mev. d. ar-
tic. 1. num. 9., † etsi mitiori quoque pœnâ ex benignitate, 39.
possit affligi, quàm si dolosus fabricator extiterit, per l. majo-
rem 4. & l. si falsos 8. C. de fals. l. pen. ff. eod. l. 37. ff. de pœn. Co-
ler. de aliment. cap. 17. num. 34., † quod & juri Saxonico con- 40.
venit, quo arbitrariè punitur, vid. Spec. Sax. art. 13. l. 2. ubi ad-
ditio latina lit. E. add. Magnif. Dn. Presf. Dissert. crimin. 8. §. 9.
num. 5., ubi Jenenses ejusmodi fraudatori perpetuam rele-
gationem imposuisse, testis est, & ita etiam Lipsienses, ut &
alio tempore Jenenses pronunciaffe refert Petr. Theodoric. in
prax. crimin. cap. 8. num. 23. p. 1141. & seq. † Nec juri Caroli- 41.
no contrariari puto, ita ut utens, si notabile proximo suo
damnū falsâ suâ dederit mensurâ vel staterâ, ad sustigatio-

nem (vulgo Staupenschlag) damnari possit, *vid. Peinl. Halsz*
 42. *Gerichts-Ordn. d. art. 113.* † Quæ hodie est pœna in vulgus
 nota, ut etiam non rarò profligatissimi reperiantur, qui eam
 43. ter quaterve vel pluries in diversis locis perpessi fuerint: † so-
 let autem fustigationi semper perpetua relegatio addi, quin
 & sub hac pœnâ intelligitur, teste *Carpzov. pr. crimin. p. 3. qu.*
129. num. 17. ubi num. 20. ejusmodi pœnam non pro duplici,
 sed pro simplici habendam esse rationibus ibi adductis asse-
 44. rit. † Ictuum tamen numerus pro atrocitate delicti vel ma-
 jor minorve carnifici debet præscribi, ut ita fustigatio leni-
 men accipiat, cum alius ejusdem gradus non dentur *Carpz.*
d. l. num. 22. quod & in nostro casu fieri debere rationis est.

Q. Quo- 45.
 modo fabri-
 eans falsas
 mensuras,

† Nunc ordinis jubet ratio, ut in pœnam falsas men-
 suras FABRICANTIS quoque disquiramus; hunc autem gra-
 viorem incurrere pœnam, textus evincunt expressè, *in l. pen.*
ff. ad L. C. de fals. l. 6. §. fin. de extraord. crimin., ubi, præter
 46. relegationem in insulam, in duplum damnatur. † Nec au-
 ditur (1.) si, se uti nolle falsâ mensurâ à se fabricatâ, in judi-
 cio asserat, *per l. si falsas 8. C. ad L. C. de fals. ibid. Brunnem.* ubi
 monet, quod sola fabricatio sit punienda, cum ad falsi cri-
 men conatus sufficiat; modò tamen falsum nocere possit,
 quia tunc, quoad externam perfectionem, crimen satis est
 47. perfectum, *Brunnem. d. l.* † Quare delictum semel perpe-
 tratum nec pœnitentiâ revocatur aut tollitur, *l. qui ea mente*
§. ff. de furt., etsi ordinaria pœna mitigetur, *Carpzov. pr. cri-*
min. p. 1. quest. 18. num. 22. & 24., quia delicto consumma-
 to, pœnitentia factum reddere infectum nequit, *per l. qui sit*
17. §. 1. ff. de Edil. Edict., & ita quoque judicatum fuisse, te-
 statur *Faber in t. C. de pœnis desin. 2. & 10.*

48. † NEC (2.) juvabit ipsum, quod errore, vel imperitiâ
 auxerit, minueritve mensuram, cum scire debuerit, ab arti-
 fice mensurarum vel alio publico ad hoc constituto viro ad
 architypum Principis mensuram esse conferendam, stigma-
 teque publico notandam, per ea *que supr. c. 2. num. 78. & 83.,*
 culpa enim est miscere se rei ad se non pertinenti *l. 36. ff. de*

Q. de cul- 49
 poso fabri-
 catore.

R. J. † Quid autem, si idem artifex mensurarum fuerit, &
 in

in perficiendo Principis architypum non debite observaverit? Respond. , nec tunc immunem esse ab omni poena, quandoquidem ipsi imputandum, quod non perspexerit, quod alius diligentior & peritior in simili negotio erat perspeturus, per l. 9. §. 1. ff. locat. & aliis plur. text. ; non enim id affectare debuisset, in quo intelligere debet suam imperitiam aliis periculosam fore, publicum architypum turbare, plurimosque in falsi suspicionem intrudere. arg. l. si ex plag. 52. §. in clivo 2. ff. ad L. Aquil. Gail. 2. observ. 111. num. 25. Harprecht. ad §. praeterea 6. l. eod. num. 2. & seq. ; tot enim fabricando contrahentes decepit, quot postmodum mensurando sese invicem, contrahentes defraudarunt, per l. arbitrio 18. ff. de dol. mal., quia causa causae est etiam causa causati per l. qui occidit 30. §. 3. ff. ad L. Aquil. 29. ff. ad L. Jul. de adult.

† Hoc tamen casu ad poenam corporalem, d. C. Crimin. 50. art. 113., dolo non probato, iudex procedere non potest, sed pecuniaria reus mulctandus est poena, ad quam dolus quoque praesumptus sufficit, juxta Marsil. Consil. 7. num. 10. Myler. ab Ebreub. in metrol. cap. 12. §. 23. num. 1. sub fin. † Sed antequam ad dolosum fabricatorem me accingam, sequentis controversiae scopulos transilire est religio, Utrum nimirum quis propria auctoritate pondus justo levius adaequare, mensuramve justo majorem minuere, atque stigma Principis imprimere impunè possit? Affirmat cum aliis Myler ab Ebreub. d. c. 12. §. 34. ex his rationibus; quod (1.) reducens mone tam ad aequum pondus non puniatur Alciar. cons. 461. num. 2. adde Decian. de crimin. lib. 7. c. 27. (2.) quod statutum prohibens potestatem mutandi pondera debeat intelligi de iis, qui ea ad alios defraudandos minuunt, non autem qui ad justum pondus eadem reducunt, per l. pen. §. 1. ff. ad L. Cornel. de fals. l. 37. de poen. (3.) quod poena hoc casu statuta non fit, l. at si 14. §. 14. ff. de sumpt. fun. l. 3. §. divus de sepulchr. viol. † Verum contrarium verius videtur (1.) per l. si servus 27. §. et si puerum 28. ff. ad L. Aquil., peccavit enim contra statutum Principis jubentis reductionem mensurarum, stigmatisque inustionem per virum ad hoc constitutum secundum archity-

Q. An quis propria auctoritate pondus justo levius adaequare & mensuram justo majorem minuere possit? Affirmant nonnulli.

52. Contrarium verius.

pum publicum debere fieri, uti supra *c. 3. num. 78.* dictum
fuit. (2) propter generalitatem textus in *l. 8. ad Leg. Cornel.
de fals.*

53.
Resp. ad Dis-
sentientium
argumenta.

† Ad argumenta contraria responderi potest, & qui-
dem ad (1.), negando, quod non puniatur reducens mone-
tam ad justum pondus, propter generalitatem textus in
d. l. 8. sed arbitrariè hunc puniendum esse puto cum *Magn.
Dn. Schütz. in Coll. MSCR. .v. tit. ad Leg. Corn. t. de fals.*, quia
nihilominus justum pondus rodit, quod illud habendum
est, quod istius monetæ Dominus imposuit *Carpz. pr. crimin.
p. 1. q. 43. num. 35. & seqq. add. Brunnem. ad d. l. 8. num. 2.* Ra-
tio (2.) ideò non stringit, quia Princeps non solùm prohibet
mutationem mensuræ, sed simul jubet, ut per virum publi-
cum ad arhitypum reductio fiat, atque stigma imprimatur.
Ad (3.) respondetur, non sequi: pœna non est statuta, E.
delinquens puniri non debet; quia in *d. l. 14. §. 14. de sumpt.
funer.* Imperator videtur pœnam remisisse heredi prohiben-
ti funerari ab eo, quem testator elegit, cum ipse heres hoc ne-
gotium in se suscipere voluerit, ne secreta patrimonii pro-
54. palentur; † Etsi conniveri hoc casu æquè posse non ne-
garem.

55.
Q. Quomo-
do dolosus
fabricator
puniatur.

† Quibus superatis disquirendum, quænam doloso
fabricatori impendat pœna? de jure Civili res est in apri-
cum producta, quòd falsi pœnâ teneatur, præter eam, quæ
in sæpius *alleg. l. pen. ff. ad L. Corn. de fals.* continetur, perea,
56. quæ *supra num. 13. & seqq.*; de Jure autem CAROLINO hodie
est arbitraria, ita ut ad mortem extendi possit *Perez. ad t. C.
de fals. Carpzov. pr. crimin. p. 2. qu. 93. num. 20. num. 95. & seqq.*

57.
requisita qui-
bus pœna ad
mortem ex-
tendi possit.

† Sed ut mortis hæc pœna locum habeat tria requiruntur,
(1.) dolus (2.) atrocitas delicti (3.) ejus iteratio.

I.

† PRIMUM requisitum, quod spectat, probatur illud ex
d. art. 113. C. C. voce Boshaftig; ubi enim dolus abest, deli-
58. ctum pœnâ dignum non est, *l. 7. ff. de jurisdict. l. 23. §. 2. ff. de
Ædil. Ed.* imò in genere ad omne falsum dolus requiritur,
alias pœna falsi locum non habet *l. neq. exemplum 20. C. de
fals.*

SECUN-

† SECUNDUM requisitum probatur *ex d. art. 113. C. C. voce 59. II.*
Größlich. Ob minus enim delictum sanguis humanus non
est effundendus, sed circumstantiæ sunt optimè ponderan-
dæ. *Dambud. in pr. crimin. c. 107. num. 5.*; Sic, in omni delicto
etiam doloso, si minimus sit excessus, delictum dicitur leve,
Abb. Panorm. conf. 25. lib. 1. dabit. 3., nec pœna in vulnere lo-
cum habet in vulnuscule *Capol. conf. 77.* Sed is potius pœnâ
pecuniariâ, habita ratione circumstantiarum, si falsum sæpe
repetitum fuerit, extraordinariè est afficiendus, *arg. l. 14. §. fin.*
ff. de furt. l. sacril. 6. pr. ff. ad L. Jul. pecul. † Unde mercatores, qui
vendendo pannos magnoperè extendunt, & ut exteri lo-
quuntur, tirant, eo quod fraudem in quantitate committant,
extraordinariè puniuntur, cum debeant pannos absque tira-
tione seu tali extensione cum ulnâ in tabulâ tendere, *juxta*
Constit. Reg. Neapol. rubr. Mercatores Marantha in spec. aur. p. 4.
dist. 11. n. 47., præsertim si pannus, quem dixerit mercator, *das*
er gekrumphen wâre / cum tamen non sit, quo casu præter di-
ctam pœnam, actione redhibitoriâ mercator potest con-
veniri, si non expediat emptori pannos habere breviores, *per*
l. bovem 43. §. 6. ff. de Æd. Ed.

† TERTIUM requisitum *in eod. art. 113. C. C. voc. Offt 61. III.*
suum fundamentum habet; sicuti enim vita ante bene acta
pœnam interdum minuere potest, *l. 3. §. 12. l. 5. pr. §. 6. ff.*
de re mil. Wesenb. t. ff. de pœn. num. 9. Carpzov. p. 3. crimin. q. 120.
num. 17. §. seq.; Ita quoque ejusdem delicti iteratio pœnæ ex-
asperationem meretur *l. capitalium 28. §. 3. de pœn. d. n. 9. §. pra-*
ced. 8. † Requiritur autem tertia vice ad minimum hoc deli- 62. (1.)
ctum oportere iteratum fuisse, quodammodo colligi potest
ex Const. Crim. art. 142.; Nam qui tertia vice delinquit, ex
consuetudine deliquisse videtur, *per l. nemo 3. in fin. C. de E-*
pisc. audient. ibiq. Brunnem. † Requiritur (2.), ut qualibet vi- 62. (2.)
ce ad minimum 5. solidos delicti damnum excedat, *arg. art.*
160. C. C., quamvis autem in pœnâ furti sufficiat, ut pretium
rerum una vice furto ablatarum 5. aureos Hungaricos exce-
dat *d. art. 160.*, hoc tamen non nisi gravissimis concurrenti-
bus circumstantiis, quæ delictum aggravant, procedit, *d. art.*
in fin.

in fin.; v. g. si furtum fuerit perpetratum cum effractione, vel rupturâ, vel ascensione, &c. *Brunnem. in Comment. C. ad auth. c. sed novissimè l. 3. de servis fugit.* quæ circumstantiæ (3.) 64. in nostro crimine vix adesse possunt, † Tandem (3.) requiritur, ut falsarius de primâ & secundâ vice fuerit punitus. argumento criminis furti, *per l. ei qui 9. pr. ff. de furt. l. inter omnes 46. §. fin. ff. eod.*, quamvis d. Constit. Criminalis hoc non requirat, æquiores tamen hanc sententiam esse, monet *Dn. Struv. Ex. 48. §. 21. q. 3.*

65. † Sed quamnam pœnam mortis *Imper. Carol. V. in C. Crim. d. art. 113.* indigitaverit, adhuc dubitari posset; *Matth. Stephani in Comm. ad d. art. 113.* hanc pœnam in specie de pœna gladii intelligit; Verius tamen, ob vicinitatem, quam hoc delictum cum furto habet, suspendii pœnam hic obtinere, putaverim. † Jure SAXONICO benignior falsariis im-

66. *Pœna de jure Saxonico.* posita est pœna, ita ut atrocitate delicti vel fustigari, vel pecuniâ mulctari possint, *art. 13. Landrecht lib. 2. Weichbild art. 43. ubi Gloss. Zu Haut und Haaren / ist nicht / daß man sie zur Staube schlage / sondern an den Pranger setze / und dergleichen :*

67. † *Lubecensi.* Lubecenses falsarium mulctant 10. thalerorum pœnâ quoties delinquit. *Statutum Lubec. l. 4. tit. 12. per tot. Sibm. t. ff. si mens. fals. m. d.*, & quid in aliis locis obtineat, *vid. ap. Magn. Dn. Pres. in Dissert. crim. §. 8. §. 21.*

68. † Verum restat adhuc quæstio, quisnam falsarios prædictos punire, ab iisdemque mulctam exigere possit? Resp., quoniam solus territorii Princeps regulariter potestate statuendi de mensuris gaudeat, & sic in ejus contravenientes solius injuriam delinquant, meritò quoq; eidem soli regulariter potestas coërcendi competere debet, injuriamq; sibi factam vindicare potest *l. 2. §. 4. ff. de collat. bonor.*, præsertim cū ei tantummodo concedatur mulctæ dictio, cuius est publicè judicium exercendi *l. 2. §. fin. ff. de judic. l. 10. pr. ad L. Jul. de vi publ. Brun. ad l. fin. C. de mod. mulctar.*, & solius Principis ærario mulctæ debet esse compendio *l. mulctar. §. C. d. t.*

69. † Solet tamen pluribus in locis ex conniventia & concessione Principis Magistratui municipali mulctæ exactio eorum

rum

rum, qui mensuris ponderibusve alios defraudant, compe-
 tere, uti de Electoratu Brandenburgico testatur *Schepliz. ad*
Consuet. Brand. p. 4. tit. 6. §. 4. & 5., cujusmodi quoque sta- 70.
 tutum in Ducatu Würtembergico deprehenditur, *vid. Ordi-*
nat. Würtenb. tit. Von Ehlen und Gewicht §. und soll man. fol.
153. † quam tamen mulctam Principis ærario deputare Ma- 71.
 gistratus tenetur *d. l. mulctarum §. C. de mod. mulct.*; Nisi mul-
 cta fuerit modica, *d. ord. Würtemberg.* † Interim tamen, 72.
 neque Jure Carolino neque consuetudinario per pœnam,
 quæ in falsarios ponderum exequitur, reipersecutoria dero-
 gatur actioni, qua pars læsa, quod ob majora pondera men-
 surasve plus mercis vel pretii datum est, repetere potest, *per*
l. arbitrium 18. §. 3. ff. de dol., actio enim pœnalis rei persecu-
 toriam non tollit, *per l. 7. §. 1. ff. de Condiç. furt. l. 34. §. 2. de*
O. & A. Magn. Dn. Struv. Exerc. 46. §. 97. Eckolt. t. ff. de O. & A. §.
61. pag. 717.

Pœna actioni
 reipersecuto-
 riæ non præ-
 judicat.

† Econtra quæritur, an actor, postquam ad pœnam, 73.
 dupli, quam etiam hodie adhuc obtinere supra *n. 18.* fuit di-
 ctum, egerit, delinquentem de novo etiam criminaliter pos-
 sit accusare? Cum hic versetur in terminis publici judicii,
 citra moram in affirmativam abimus sententiam, tum pro-
 pter expressum textum *in l. damus 23. C. ad L. Cornel. de fals.*
 tum propter generalitatem *l. un. C. quand. Civ. act. præjudicet*
crim. Etsi verò ob verba ibi: *de re familiari, Bachov. ad Tr. v. 2.*
D. 30. l. b. & c. verb. sed pœna p. 1083. Amad. Eckolt. t. ff. de injur.
§. 16. p. 798. banc l. un. explicent, quòd actio civilis ibi non,
 significet actionem pœnalem, sed reipersecutoriam civilem;
 tamen non incongruè *Salicet in d. l. num. 1. & 11. q. 4. Cyn. ib.*
q. 2. num. 7. Gomez. 3. resol. 5. num. 4. & alii dicta verba: quo-
ties de re familiari, exponunt, quasi Imp. dicat: *quoties pro-*
pter rem familiarem; quam explicationem non minus juvant
 & confirmant exempla ibi subnexa, & in specie in puncto
 criminis falsi notanda sunt verba *d. l. un. finalia: falsi crimen,*
de quo civiliter jam actum est, etiam criminaliter esse repetendum:
 jam verò per civilem actionem tam pœnalem, quàm reiper-
 secutoriam indigitari docent *l. qui nomine 25. l. pen. ff. ad L.*

An actio civi-
 lis pœnalis
 præjudicet
 criminali pu-
 blici judicii?
 A.

F Corn.

Corn. de fals. Rectè igitur *Ludw. ad Wes. t. ff. de priv. delict. n. 4.*
verb. nec unam actionem p. 786., quoad criminalem actionem
d. l. un. ad publica tantum refert judicia, quoad civilem ve-
rò ad utraque tam publica quam privata judicia, ita ut actio
civilis, tam pœnalis quam reipersecutoria orta ex privato vel
publico iudicio non præjudicet criminali actioni publici ju-
dicii, *addeſis §. his autem 9. l. l. 23. §. 9. ff. l. 3. C. ad L. Aquil. l. 2. §.*
1. ff. vi bon. rapt. Bernh. Scotan. Ex. 23. 6. 23. Dn. Struv. Ex. 46.
6. 95. Brunn. ad d. l. un.

Nunc meum est denuo apud B. L. errores deprecari,
quos agnosco plurimos, qui ita rogatus facile veniam dabit.
Tibi verò, Summe Deus, ex quo & per quem omnia, *l. 5. §. 1.*
C. de SS. Trinit.: cum quo incepi, & quò propitio hæc per-
tractata sunt *§. 3. l. proœm.*, devotas & immortales ago gra-
tias exhibiturus laudes, quas mens mea concipere, & lingua
proferre potest maximas *l. 1. pr. C. de offic. Præf. Prat.*, quòd
benigne vires concedere & manum mentemque in conscri-
bendâ hac Dissertatiunculâ dirigere volueris. Gratiâ Spi-
ritus Sancti porrò mihi adſis & studiis meis benedicas.
Tantum.

COROLLARIA.

I. Testator suum heredem per Deum rogat, ut Cajo
25. tritici modios præstet, quæritur, an testamento jure exi-
stente nullo, heres fideicommissum teneatur præstare?
Aff. l. cum pater 77. §. filius matrem 23. de leg. 2.

II. Titius Caji debitoris sui debitori Sempronio inter-
dicere potest, ne Cajo debitum solvat, *l. heres 22. ad SCt.*
Trebel. l. utrum 27. de constit. pec. l. fin. de leg. commis. l. nomen 4.
C. quæ res pignori: Nisi Sempronius ex titulo depositi Caji
debitor sit, quò casu, si interdictionem susceperit, denun-
ciante Titio, àq; die interdictionis omne periculum unâ
eum usuris, *in Nov. 88. c. 1.* expressis, sustinente, omninò se-
curus erit: sin verò notorium sit, deponentem furto rem
depositam Titio abstulisse, huic statim res est reddenda *l.*
bona fides 31. §. 1. Deposit.

Ponde-

POndera, mensuras justas exponis a-
cutè:

Præmia pro merito Themis æquâ lance
rependat!

Eximio Dn. Waldeckio, Jurisprudentiæ

Cultori solertissimo, amico suo

carissimo,

de profectibus egregiis gratulatur

Georgius Adamus Struve / D.

POndera, mensuras, digitum, palmumq;, pedemq;.

Qui plenis digitis, & non sine pondere tractas:

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus A-
pollo)

Tres pateat coeli spatium non amplius ulnas?

Dic quibus in terris finalia jurgia Romæ,

Quando quinq; pedum prescriptio jure remota?

Dic per quas terras Tutor datus ire paravit,

Tutelam injunctam si declinare volebat,

Cum plures lapides, quàm centum, tractus haberet?

*Hæc ænigmata Geometrico-Juridica, eruditæ de
mensuris dissertationi Politissimi DN. WAL-
DECCI, Auditoris & Amici sui ob assiduam
industriam, singularem ingenuitatem, præ-
clarasq; alias mentis dotes sibi semper dile-
ctissimi, ex animo gratulabundus adjicere
voluit.*

Johannes Gvilielmus Harprecht.

F 2

Ponde-

Pondera, mensuras mensurat, ponderat
AUTOR:

Viribus ingenii pondus inesse puto.

*Istuc animo, quo decuit, gra-
tulab. scrib.*

Joh. Cramerus, Land. V Valdecc.
SS. Theol. Stud.

Sic docuisse iuvat, magnus ceu iussit Apollo!
Scilicet est justum pondo, carissime civis,
Quod patriæ donas Patribus, quo cernere possint,
Prodere Te juste vafri molimina vafra.
Illud agunt multi, ut pondus mensuraque fallant,
Fraudator nequam cernis tua pondera nequã?
At vero torques mærens tua lumina torva:
Quæ licet avertas, tradit justissima Noster
Haut vinum cribro mensurans: optima causa est!
Præmia quæ reddes VVALDECK cum pondere? laurum,
Quæ capiti, forsân mensuras, apta corolla;
Arripiens doctus Libripens hanc tempora cinget.

Plaudens civi civis fec.

Johannes von der Mühlen /
LL. Stud.


Colligis hoc scripto, quod justum judicat orbis:
Justitiam cœli collige, salvus eris.

Ita Cognato suo per dilecto applaudebat

Dan. Frid. Waldschmied / LL. St.

F I N I S.






ULB Halle
005 803 56X


3



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

E TRINUNO *1676, 26*
 ET
 TOR. FENENSIUM
permittente,
 DE
 JUSTUM EST
Circa
 SURAS
 NDERA,
 RESIDE
 GIO ADAMO
 litario in *Bankleben*
gen-Zehna/
 MATISSIMO, SERE-
 INARIENSIVM CONSILIA-
 IO, FACULTATIS JURIDICÆ OR-
 ALIS AC SCABINATUS ASSESSORE
 O GRAVISSIMO,
 RE SUO REVERENTER SUBMISSSE
 ENDO,
ssioni submittit
 WALDECCUS
 o Waldeccus,
 CTOR.
 Anno M DC LXXVI.
 JOHANNIS NISI.

2.
10

